

SAC. ALOISIUS MORETTI
Pontificiae Academiae Liturgicae Romanae, honoris causa, Academicus

CAEREMONIALE
IUXTA RITUM ROMANUM
SEU
DE SACRIS FUNCTIONIBUS
EPISCOPO
CELEBRANTE - ASSISTENTE - ABSENTE
in partes septem digestum

*Manuale iuxta novissima Decreta S. Rituum Congregationis
et Codicem Iuris Canonici*

VOLUMEN I.
DE QUIBUSDAM NOTIONIBUS
SACRAM LITURGIAM RESPICIENTIBUS



TAURINI (ITALIA)
Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI S. Sedis Apost. et S. RR. Congr.
necnon Archiep. Taurinen. Typographi

MCMXXXVI

Printed in Italy
Copyright (1936) by Casa Editrice Marietti - Torino (Italy)

Diligentissime revisione peracta primi voluminis « *De quibusdam notionibus Sacram Liturgiam respicientibus* » Operis « *Caeremoniale iuxta Ritus Romanum seu De Sacris Functionibus...* » a clarissimo ALOISIO MORETTI concinnati, idem volumen cum Codice I. C., Rubricis Breviarii et Missalis atque cum novissimis Sacrarum Congregationum Decretis (quae sunt fundamentum totius vol.) adamussim concordare testor.

In fid.: Taurini, die 19 Septembris 1935.

Sac. AUGUSTINUS GROGNO, *Rev. Archiep.*

Imprimatur.

C. FRANCISCUS PALEARI, *Provic. Gen.*

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (27-1-36).

LECTORI,

Postquam anno 1932 editio decima Operis cui titulus Caeremoniale iuxta Ritus Romanum a praestantissimo viro P. Aloisio De Carpo olim elucubrati et a me reformati, in lucem prodiit, in multorum votis erat ut etiam omnes sacrae pontificales Functiones, pari modo explanarentur, quod opus, praesertim post Codicis I. C. promulgationem, nec non paucas liturgicis Libris emendationes allatas, demum post recentiora S. Rituum Congregationis Decreta, valde desiderabatur.

Sed cohortationibus fretus plurium Praesulum ac perillustrium virorum rei liturgicae peritorum, qui non paucis laudibus opellam Caeremoniale solemnium functionum Pontificalium maioris hebdomadae anno 1924 editam, celebraverunt, instante quoque officiose praeclaro Editore, in liturgicis Operibus divulgandis principe, multo ante ad maiorem Dei gloriam et ad sacrae Liturgiae decus et splendorem, manum admoveram.

Praesens ergo Opus inscribitur: Caeremoniale iuxta Ritus Romanum seu De sacris Functionibus, Episcopo celebrante - assistente - absente, quia praecipue versatur circa sacra quaeque, nempe: Loca, Res, Caeremonias et Ritus in usum Pontificum, Ecclesiarum Cathedralium, Collegialium, earumque in quibus Sacra, ritu pontificali, peraguntur.

Necesse autem non est dicere sacras Functiones pontificales plurimis obnoxias esse difficultatibus, neque rite eas peragi posse nisi et Celebrans et unusquisque Ministrorum recte singula norit quae sui muneris sint.

Sacros Ritus ignorare turpissimum; gravique sane culpae periculo subduntur qui in Sacris vel peragendis vel ministrandis nullam curam nullamque diligentiam adhibent ut iuxta liturgicas praescriptiones

agant. Si qui in domibus regum sunt, summo studio in id incumbunt ut accurate et decore aulicum caeremoniale observent, sedulo caventes ne ullum defectum committant, quanto magis ii qui, non propriis meritis, intra Ministrorum numerum Regis regum et Domini dominantium aggregati sunt, adniti debent ut Caeremoniali cultus divini in Aula Dei, nempe in Ecclesia, quam accuratissime obsequantur!

Ad Ritus ergo et Caeremonias ornatè, decore, nobiliter, accurate peragendas, sedulam operam dedi ut facilis simulque expedita sacris Functionibus praeparatio redderetur; propterea Celebrantis, singulorum cuiusque gradus Ministrorum officia et munera seiunctim tractavi, graphidesque aliquot ad difficultates, uno oculi ictu, superandas interieci; Capitibus quae de praestantioribus Functionibus pontificalibus extraordinariis pertractant, Summarium prae oculis Caeremoniariis praesertim habendum, apposui. Alphabeticum Indicem, in quo omnia et singula ad Lectoris commoditatem utiliora facillime comparanda tanquam in promptuario suppeditantur, singulis Voluminibus, addidi; Canones I. C. et Decreta S. Rituum Congregationis in Voluminibus allata in distinctis Indicibus, ut facile agnosci possint ubi aptata sint, distribui. Notiones vero non respicientes ad immediatam sacrorum Functionum praeparationem, ne Lectores abstrahantur, in primam Partem coëgi.

In Manuale perficiendo S. R. Ecclesiae liturgicos Libros, Codicem I. C., S. Rituum Congregationis aliarumque SS. Congregationum, circa ea quae S. Liturgiam respiciunt, novissima Decreta, Responsiones, Declarationes, nec non probatorum Auctorum, quorum nomina infra, sententias ad unguem persecutus sum.

Si, Lector benevole, hoc Manuale proficies, obtestor ne quid mihi ex ipso tribuas; si quid vero in eo reprehenderis et me admonueris, gratias tibi magnas semper habebō; at si quid boni in eodem inveneris, in honorem et gloriam Dei Optimi Maximi eiusque Genitricis atque Coelitum omnium referas.

Die XXV Decembris MCMXXXV
In Nativitate Domini.

BIBLIOGRAPHIA

- Acta Apostolicae Sedis — Commentarium Officiale.
Aertnys — Caeremoniale solemnium Functionum.
— Compendium Liturgiae Sacrae — Editio IX novo Missali accommodata a J. M. Pluym.
Baldeschi — Esposizione delle sacre Ceremonie, ecc.
Barin — Catechismo liturgico.
— Il Messale Romano riformato da Pio X, promulgato da Benedetto XV — Commento e note illustrative.
Barufaldus — Ad Rituale Romanum commentaria.
Battisti — Sacramentario dei Fedeli.
Baudry — Manuale Sacrarum Caeremoniarum.
Blat — Commentarium Textus Iuris Canonici.
Braun — I paramenti sacri.
Breviarium Romanum — III Editio Vaticana post typicam (1923).
Caeremoniale Episcoporum — Editio typica (1886).
Caeremoniale Romanum-Seraphicum — Editio altera (1927).
Carbone — Praxis Ordinandorum.
Casagrande — L'arte a servizio della Chiesa.
Catalanus — Caeremoniale Episcoporum in duos libros distributum.
— Pontificale Romanum in tres partes distributum.
— Rituale Romanum commentariis exornatum.
Cavalieri — Opera omnia liturgica.
Callewaert — Liturgicae Institutiones: De S. Liturgia universim; De Breviarii Romani liturgia.
Cocchi — Commentarium in universum Codicem Iuris Canonici.
Codex Iuris Canonici.
Costantini — Nozioni di arte per il Clero.
Dal Sasso — Liturgiae sacerdotalis, etc.
De Amicis — Caeremoniale Parochorum.
— Il Ceremoniale completo.
— Consuetudines in Functionibus liturgicis.
Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata (Roma, 1898-1927).
De Herdt — Sacrae Liturgiae praxis iuxta Ritum Romanum.
— Praxis pontificalis seu Caeremonialis Episcoporum practica expositio.
Ephemerides Liturgicae — Commentarium (1900-1934).
Favrin — Praxis solemnium Functionum Episcoporum, etc.
Gardellini — Commentaria ad Instructionem Clementis XI pro Oratione XL Horarum.

- Gavantus — *Thesaurus Sacrorum Rituum*.
 Gennari — *Questioni liturgiche*.
 Greco — *Compendio di Sacra Liturgia*.
 Haegy — *Fonctions Pontificales selon le rit romain*.
 — *Cérémonial selon le rit romain et manuel de Liturgie*.
Manualetto di Sacre Cerimonie ad uso dei Chierici — Tip. del Seminario - Padova.
 Martinucci — *Manuale Sacrarum Caeremoniarum in libros octo digestum*. —
 Editio III emendata et aucta a J. B. Menghini.
Martyrologium Romanum — Editio post typicam vaticanam.
 Matthaeus (P.) a Coronata O. M. C. — *Institutiones Iuris Canonici*.
 Mioni — *Manuale di Liturgia*.
Missale Romanum — Editio iuxta typicam (1923).
Monitore Ecclesiastico — An. 1910-1933.
 Pilkington — *Il Culto della Chiesa*.
Pontificale Romanum — Editio typica (Ratisbonae 1901).
 Rauss — *Institutiones Canonicae iuxta novum Codicem*.
Rituale Romanum — Editio II Taurinensis iuxta typicam (1926).
 Schober — *Caeremoniae Missarum solemnium et pontificalium*.
 Schuster — *Liber Sacramentorum*.
 Sioli — *Trattato di sacre Cerimonie secondo il Rito Romano*.
 Stella — *Institutiones Liturgicae*.
 Stocchiero — *Manuale per la Visita pastorale a norma del Codice di D. C.*
 Tirozzi — *Brevis collectio quaestionum ritualium*.
 — *La consecrazione della Chiesa*.
 Veggian — *Il Sinodo Diocesano*.
 Victor (P.) ab Appeltern — *Sacrae Liturgiae Promptuarium*.
 Vigourel — *Manuale di Liturgia*.
 Vito — *Note canoniche sulla precedenza*.
 — *Note pratiche sulla celebrazione del Sinodo Diocesano*.
 Zualdi — *Caeremoniale Missae privatae, emendatum et auctum cura Salvatoris*
 Capoferri.

INDEX GENERALIS

	Pag.
LECTORI	V
BIBLIOGRAPHIA	VII

PARS PRIMA

De quibusdam notionibus sacram Liturgiam respicientibus.

CAPUT I. <i>De Iure Liturgico</i>	1
Art. I. De Iure Liturgico generatim	1
» II. De Libris Liturgicis	3
» III. De Rubricis deque earum obligatione	6
» IV. De Sacra Rituum Congregatione	7
» V. De aliquarum SS. Congregationum competentia circa ea quae etiam sacram Liturgiam respiciunt.	9
» VI. De S. Rituum Congregationis Decretis et de eorum obliga- tione	9
» VII. De Consuetudine in Iure Liturgico	11
CAPUT II. <i>De Temporis Supputatione</i>	14
CAPUT III. <i>De Ordinariis</i>	17
CAPUT IV. <i>De S. R. Ecclesiae Cardinalibus</i>	18
Art. I. De quibusdam notionibus generalibus	18
» II. De Cardinalium iuribus, privilegiis ac obligationibus ad sa- cram Liturgiam spectantibus	20
» III. De habitu Cardinalium	24
» IV. De quibusdam normis a S. C. Caeremonialis pro decore S. R. E. Cardinalium cum ad sacra peragenda invitantur	29
CAPUT V. <i>De Episcopis</i>	32
Art. I. De quibusdam generalibus notionibus	32
» II. De Episcoporum iuribus, privilegiis ac obligationibus ad sa- cram Liturgiam spectantibus	33
» III. De Metropolitanarum iuribus, privilegiis et obligationibus ad sacram Liturgiam spectantibus	38
» IV. De Episcoporum habitu	39
» V. De mitra deque baculo pastorali	43
» VI. De sacro Pallio	45
» VII. De Throni cessione	47

	Pag.
CAPUT VI. De Administratoribus Apostolicis	48
CAPUT VII. De Vicariis et Praefectis Apostolicis	49
CAPUT VIII. De Abbatibus et Praelatis « nullius »	50
CAPUT IX. De Vicariis Generalibus	55
CAPUT X. De Vicariis Capitularibus	56
CAPUT XI. De Capitulis deque Canonicis	56
Art. I. De Capitulis generatim	56
» II. De Capitulum iuribus, privilegiis ac obligationibus ad sacram Liturgiam spectantibus	57
» III. De Dignitatibus et Canonicorum iuribus, privilegiis atque obligationibus ad sacram Liturgiam spectantibus	58
» IV. De Canonicis ad honorem deque Canonicorum Coadiutoribus	61
CAPUT XII. De Protonotariis Apostolicis	61
Art. I. De Protonotariis Apostolicis generatim	61
» II. De privilegiis Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium	63
» III. De privilegiis Protonotariorum Apostolicorum Supranumerariorum	64
» IV. De privilegiis Protonotariorum Apostolicorum « ad instar » Participantium	66
» V. De privilegiis Protonotariorum Apostolicorum Titularium seu Honorariorum	67
CAPUT XIII. De Praelatis Urbanis seu Domesticis	68
CAPUT XIV. De Dignitatibus, Canonicis et aliis qui nonnullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur	68
CAPUT XV. De Abbatibus Regularibus de regimine	69
CAPUT XVI. De praecedentia inter varias personas physicas seu morales	70
Art. I. De praecedentia in genere	70
» II. De praecedentia in specie	73
CAPUT XVII. De Sacramentis generatim	85
CAPUT XVIII. De Sacramento Baptismi	86
Art. I. De Baptismo solemnibus deque privato	86
» II. De solemnibus Baptismo adultorum	89
» III. De Baptisterio seu Sacello ad baptizandum	89
CAPUT XIX. De Confirmatione	90
CAPUT XX. De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento	92
Art. I. De sacra Communione administranda extra Missam	92
» II. De sacra Communione infirmis ministranda	93
CAPUT XXI. De Sacramento Poenitentiae	95
CAPUT XXII. De Extrema Unctione	95
CAPUT XXIII. De Sacramento Ordinis	96
Art. I. De sacra Ordinatione	96
» II. De Consecratione episcopali	99
CAPUT XXIV. De Sacramento Matrimonii	99

	Pag.
CAPUT XXV. De Sacramentalibus	101
Art. I. De Sacramentalibus generatim	101
» II. De Benedictionibus	102
» III. De Exorcismis	103
» IV. De quibusdam peculiaribus Sacramentalibus	104
CAPUT XXVI. De Divini Officii choralis recitatione	105
Art. I. De Divino Officio generatim	105
» II. De tempore et loco publicae Divini Officii recitationis	106
» III. De causis excusantibus a Chori servitio	109
» IV. De Chori Praefecto	112
CAPUT XXVII. De sacrosancto Missae Sacrificio	112
Art. I. De Missae Celebrante	113
» II. De materia pro sacrosancto Missae Sacrificio	114
» III. De tempore et loco Missae celebrandae	116
» IV. De Missa solemnibus deque Missa cantata	117
» V. De Missa pontificali deque Missa solemnibus cum assistentia Episcopi Ordinarii	118
CAPUT XXVIII. De Missa Conventuali	119
Art. I. De Missae Conventuali generatim	119
» II. De tempore Missae Conventualis	120
» III. De numero Missarum Conventualium	121
» IV. De Missa Conventuali votiva	122
» V. De Missa Conventuali de Requie	123
CAPUT XXIX. De Musica sacra	124
Art. I. De cantu sacro	124
» II. De organo et musicis instrumentis	128
» III. De modis ad rem exsequendam praecipuis	129
CAPUT XXX. De Locis sacris	133
CAPUT XXXI. De Ecclesiis	135
Art. I. De Ecclesiis generatim	135
» II. De Ecclesiarum aedificatione	137
» III. De Ecclesiarum solemnibus consecratione vel benedictione	138
» IV. De Ecclesiarum Titulo	140
» V. De sacris Functionibus quae in Ecclesiis perfici possunt	142
» VI. De sacris Functionibus in Ecclesiis tempore Interdicti	143
» VII. De Campanis	145
» VIII. De execratione deque violatione Ecclesiarum	146
» IX. De reconciliatione Ecclesiarum	149
CAPUT XXXII. De Oratoriis	149
Art. I. De Oratoriis generatim	149
» II. De Oratoriis publicis	150
» III. De Oratoriis semi-publicis	151
» IV. De Oratoriis privatis seu domesticis	153
» V. De Aediculis quae in Coemeteriis aedificantur	155
CAPUT XXXIII. De Altaribus	156
Art. I. De quibusdam generalibus notionibus	156
» II. De materia, structura deque Altarium sepulero	157
» III. De Altarium consecratione deque eorum execratione	160
» IV. De Altarium Titulo	162

	<i>Pag.</i>
CAPUT XXXIV. <i>De ornatu Ecclesiae et Altarium</i>	163
Art. I. De Ecclesiae ornatu	163
» II. De Altaris maioris ornatu	165
» III. De ornatu Altaris SS. Sacramenti	173
» IV. De Altarium minorum ornatu	176
CAPUT XXXV. <i>De Sacratio</i>	177
CAPUT XXXVI. <i>De Archivo</i>	178
CAPUT XXXVII. <i>De Coemeteriis</i>	179
Art. I. De quibusdam generalibus notionibus	179
» II. De Coemeteriorum benedictione, violatione et reconciliatio- ne	183
CAPUT XXXVIII. <i>De diebus festis</i>	185
CAPUT XXXIX. <i>De Divino Cultu</i>	186
CAPUT XL. <i>De custodia et cultu SS. Eucharistiae</i>	189
Art. I. De conservando ac renovando SS. Sacramento	189
» II. De expositione et benedictione SS. Sacramenti	191
» III. De indulgentiis, privilegiis, indultis et dispensationibus con- cessis iis qui Conventibus Eucharisticis celebrandis intersint vel operam navent	192
CAPUT XLI. <i>De cultu Sanctorum, Sacrarum Imaginum et Reliquiarum</i>	195
Art. I. De cultu Sanctorum	195
» II. De sacris Imaginibus	197
» III. De sacris Reliquiis	198
CAPUT XLII. <i>De sacris Processionibus</i>	200
CAPUT XLIII. <i>De suppellectili ad divinum cultum rite exercendum</i>	202
Art. I. De suppellectili in genere	202
» II. De consecratione deque benedictione sacrae suppellectilis	204
» III. De suppellectili in specie	205
APPENDIX: Constitutio Apostolica Pii Pp. XI « <i>De quibusdam Praelatis Ro- manae Curiae et variis eorum ordinibus</i> » diei 15 Augusti 1934	211
INDEX ALPHABETICUS	235
DECRETA S. R. CONGREGATIONIS IN VOLUMINE ALLATA	247
CANONES CODICIS IURIS CANONICI IN VOLUMINE ALLATI	252

PARS PRIMA

**DE QUIBUSDAM NOTIONIBUS SACRAM LITURGIAM
RESPICIENTIBUS**

CAPUT I.

DE IURE LITURGICO

ARTICULUS I.

De Iure Liturgico generatim.

1. — IUS LITURGICUM est complexus legum quibus ordinatur et definitur cultus divinus (Wernz, *Ius Decret.*, III, n. 314).

2. — Iuris liturgici fundamenta habentur in ipso iure naturali, nam cum Deus sit *supremus Dominus* a quo omnia pendent, *supremus donorum Largitor*, a quo bona cuncta procedunt, ius habet, et quidem strictum, ut a creaturis intellectualibus, praesertim hominibus, eius supremum dominium agnoscat, eiusque infinita bonitas exaltetur. Cum vero homo mediis, quae exigentias et vires suas superant, egeat ut suum ultimum finem ideoque perfectionem et felicitatem attingat, ea *impetrare* a Deo debet. Tandem posito quod homo maiestatem Dei infinitam peccatis *laeserit*, propitiam sibi eam red- dere debet.

Quae quidem omnia fiunt per *adorationem, gratiarum actionem, impetrationem et propitiationem*, scilicet per *actus religionis*.

Huiusmodi ACTUS non solum INTERIORES, sed EXTERIORES, immo et PUBLICI esse debent, cum homo anima et corpore constet atque membrum societatis sit.

3. — Deus ipse in veteri Testamento quamplurimas ordinationes liturgicas indixit circa exercitium cultus publici, nempe determinavit.

modum offerendi sacrificia, ordinandi arcam foederis, tabernaculum, templum, dies festos etc. « *Custodi ergo praecepta et caeremonias* » (Deut. vii, 11). Designavit etiam Sacerdotem Summum, Sacerdotes et Ministros qui, nomine populi, debitum cultum exercerent. « *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis, de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi* » (Exod. xxviii, 1).

4. — At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum Unigenitum, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et Victimam, qui, abrogata antiqua lege caeremoniali, instituit Sacrificium eucharisticum et Sacramenta, praecipue ea per Ministros confici voluit « *... tradidit discipulis suis Corporis et Sanguinis sui mysteria celebranda...* » (Ex Orat. *Hanc igitur* etc., in Fer. V in Coena Domini), et quidem, suo nomine, confici voluit « *sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemorationem hoc fieri hodierna traditione monstravit Iesus...* » (Ex *Secreta* eiusdem diei); « *Haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis* » (Ex *Can. Miss.*); « *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi* » (Act. Ap. ii, 38).

5. — Christus Petro et Apostolis eorumque Successoribus potestatem dedit exhibendi Deo cultum publicum et ordinandi modum quo divinitus instituta exercerentur, nam Christus Ecclesiam instituit ut Societatem visibilem et perfectam cuius hierarchiam dotavit triplici potestate: iurisdictionis, magisterii et ordinis.

Apostoli, ut ex plurimis locis Libri Actuum Apostolorum necnon Epistolarum S. Pauli dilucide patet, ad divini Magistri mandata exequenda, quamdam fundamentalem cultus publici ordinationem instituerunt, Sacrificium eucharisticum obtulerunt et Sacramenta ministraverunt.

6. — Romani Pontifices, per decursum saeculorum usque ad aetatem nostram, testante Historia ecclesiastica, leges liturgicas condiderunt, liturgicos libros ediderunt, recognoverunt, emendarunt; ritus induxerunt, mutaverunt, abrogaverunt; denique eis competit supremum ius liturgicum et quidem hodie exclusivum, nam « *Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros* » (C. I. C. 1257).

7. — Etiam Episcopi, primis Ecclesiae temporibus, liturgicas leges ferebant et publicum cultum ordinabant, hinc diversae Liturgiae Orientales et Occidentales. Iuxta vero hodiernum ius eis competit tantum, et quidem ad locum suae iurisdictionis limitata, vigilantia

« *ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum* » (l. c., 336, § 2).

8. — Romanus Pontifex in causis extraordinariis ius liturgicum per seipsum, Litteris Encyclicis, Bullis, Brevibus, Constitutionibus, ordinat, in communibus causis per Sacras Congregationes, praesertim per Sacram Rituum Congregationem.

ARTICULUS II.

De Libris Liturgicis.

9. — Libri liturgici continentes formulas precum, fontes iuris liturgici sunt propter Rubricas seu regulas indicantes et praescribentes ritus et caeremonias pro sacris Functionibus.

10. — Hodierni libri ab Apostolica Sede approbati pro Ritu Romano sunt:

a) pro Horis Canonicis persolvendis: BREVIARIUM, MARTYROLOGIUM, OCTAVARIUM, LECTIONES CONTRACTAE;

b) pro Missa celebranda: MISSALE, MEMORIALE RITUUM;

c) pro administratione Sacramentorum et Sacramentalium: RITUALE et PONTIFICALE;

d) CAEREMONIALE EPISCOPORUM et INSTRUCTIO CLEMENTINA, quamvis formulas precum non contineant, etiam inter liturgicos libros annumerantur.

11. — Editiones librorum liturgicorum dicuntur *typicae*, si excussae sunt a Pontificia Typographia Polyglotta Vaticana vel ab aliis Typographis Pontificiis qui a S. Rituum Congregatione veniam obtinuerunt. « *Quaevis typica editio approbationis referet Decretum, talem editionem esse typicam declarans* » (D. 4266 ad 4).

Iuxta typicam vocantur editiones *typicae* conformes.

« *In edendis libris liturgicis eorumque partibus, itemque litanis a Sancta Sede approbatis, debet de concordantia cum editionibus approbatis constare ex attestazione Ordinarii loci in quo imprimuntur aut publici iuris fiunt* » (C. I. C. 1390).

12. — BREVIARIUM ROMANUM, scilicet liber pro Horis canonicis persolvendis, ex Decreto sacrosancti Concilii Tridentini, S. Pii V Pontificis Maximi iussu editum fuit per Bullam: « *Quod a nobis* » diei 9 Iulii 1568, abolitis omnibus peculiarum Ecclesiarum Breviariis,

iis tamen exceptis quae saltem ducentos annos comprobatae existentiae enumerarent. Clemens VIII per Bullam: «*Cum in Ecclesia*» diei 10 Maii 1602, Breviarium emendatum promulgavit. Non paucas variationes induxit Urbanus VIII qui novam edidit editionem Bulla: «*Divinam psalmodiam*» diei 25 Ianuarii 1631.

Pius X per Constitutionem: «*Divino afflatu*» diei 1 Novembris 1911 ordinavit novam Psalterii in Breviario Romano dispositionem ac distributionem et per Decretum S. R. Congregationis 25 Martii 1914 typicam editionem promulgavit sub titulo: «*BREVIARIUM ROMANUM EX DECRETO SACROSANCTI CONCILII TRIDENTINI RESTITUTUM, S. PII V PONT. MAX. IUSSU EDITUM, ALIORUMQUE PONTIFICUM CURA RECOGNITUM, PII PAPAE X AUCTORITATE REFORMATUM*». Typis polyglottis Vaticanis excussa fuit quarta editio post typicam, approbata a S. R. Congregatione die 31 Iulii 1928; suis in locis peractae sunt additiones et variationes iuxta recentiora S. R. Congregationis Decreta. *Dubio typica 1951*

13. — MARTYROLOGIUM ROMANUM, nempe liber in quo nomina Sanctorum inscripta sunt, tum Martyrum, tum Confessorum, Virginum, et non Virginum, addito ut plurimum aliquo brevi in uniuscuiusque laudem elogio, editum fuit a Gregorio XIII per Constitutionem: «*Emendato iam Kalendario*» diei 14 Ianuarii 1584; recognitum et emendatum fuit a pluribus Summis Pontificibus.

Pius X, per Decretum S. R. Congregationis diei 23 Aprilis 1914, editionem a Typographia Vaticana excussam *typicam* declaravit. Tandem Benedictus XV novam editionem, primam *post typicam*, diligenter revisam, accurate correctam et propriis recentium Sanctorum Officiorumque elogiis opportune adauctam, per Decretum S. R. Congregationis diei 11 Ianuarii 1922, approbavit eamque in publica et privata divini Officii recitatione adhibendam esse sancivit.

14. — OCTAVARIUM ROMANUM, nempe liber continens Lectiones II et III Nocturni pro iis Festis quae in Ecclesia universali absque Octava celebrantur et in Ecclesiis particularibus celebrari possunt cum Octava, promulgatum fuit ab Urbano VIII per Decretum S. R. Congregationis diei 19 Februarii 1622; eius *typica* editio est anni 1883.

15. — LECTIONES CONTRACTAE PRO FESTIS UNIVERSALIS ECCLESIAE AD MATUTINUM LEGENDAE. — Hanc Lectionum collectionem S. R. Congregatio de mandato Summi Pontificis Pii X, per Decretum diei 24 Iunii 1914, in vulgus edi statuit et decrevit.

16. — MISSALE ROMANUM, liber scilicet in Missae celebratione adhibendus, a S. Pio V Pontifice Maximo editum fuit per Bullam: «*Quo primum*» diei 14 Iulii 1570; emendatum fuit a Clemente VIII per Bullam: «*Cum sanctissimum*» diei 7 Iulii 1604 et ab Urbano VIII per Bullam: «*Si quid est*» diei 2 Septembris 1634.

Missale reformatum fuit a Pio X ad normam Constitutionis: «*Divino afflatu*» diei 1 Novembris 1911 et *Motu proprio*: «*Abhinc duos annos*» diei 23 Octobris 1913, et Benedicti XV auctoritate evulgata fuit *typica editio* per Decretum S. R. Congregationis diei 25 Iulii 1920. Typis Polyglottis Vaticanis prodiit quarta Missalis Romani editio *post typicam*, approbata a S. R. Congregatione die 15 Decembris 1931. *quinta post hyppicam - 1939* *Sexta post hyppicam - 1952*

17. — MEMORIALE RITUUM PRO ALIQUIBUS PRAESTANTIORIBUS SACRIS FUNCTIONIBUS PERSOLVENDIS IN MINORIBUS ECCLESIIS a Benedicto XIII editum fuit pro Urbe anno 1725 et a Pio VII omnibus minoribus Ecclesiis Orbis universi anno 1823 extensum fuit. Benedictus XV suprema sua auctoritate, per Decretum S. R. Congregationis diei 14 Ianuarii 1920, recognovit editionem *typicam* iuxta leges liturgicas revisam atque opportune reformatam.

18. — RITUALE ROMANUM, pro ritibus vel caeremoniis in administratione Sacramentorum et Sacramentalium a Pontifice Paulo V, per Bullam: «*Apostolicae Sedi*» diei 17 Iunii 1614, editum fuit; a Benedicto XIV, per Bullam: «*Quam ardenti studio*» diei 25 Martii 1752, auctum et castigatum fuit.

Pius XI, per Decretum S. R. Congregationis diei 10 Iunii 1925, editionem ad normam Codicis Iuris Canonici, Rubricarum Missalis Romani, atque Decretorum Apostolicae Sedis, approbavit atque ut *typicam* habendam esse decrevit. *Pius XI - 1952*

19. — PONTIFICALE ROMANUM, pro functionibus liturgicis propriis Episcopis, promulgatum fuit a Clemente VIII, per Bullam: «*Ex quo in Ecclesia*» diei 10 Februarii 1596, ab Urbano VIII, per Bullam: «*Quamvis alias*» diei 17 Iunii 1644 et a Benedicto XIII, per Bullam: «*Quam ardenti studio*» diei 25 Martii 1752 recognitum et castigatum. Leo vero XIII, per Decretum S. R. Congregationis diei 3 Augusti 1888 novam editionem *typicam* curavit.

20. — CAEREMONIALE EPISCOPORUM, pro ordine et caeremoniis in functionibus solemnioribus, praesertim Ecclesiarum Cathedralium et Collegialium, servandis, a Clemente VIII, per Bullam: «*Cum novissime*» diei 14 Iulii 1600 promulgatum fuit, et a pluribus Pontificibus

emendatum et reformatum, denuo auctum et editum fuit a Benedicto XIV atque ultimo, auctoritate Leonis XIII recognitum; editio *typica* evulgata fuit die 17 Augusti 1886.

21. — INSTRUCTIO CLEMENTINA, ita nuncupata a Clemente XI qui eam promulgavit initio a. 1705, denuo confirmata a Clemente XII et de eiusdem mandato publicata fuit a Card. Marefoschi Urbis Vicario die 1 Septembris 1731. Textus Instructionis relatus est in authentica Decretorum Collectione.

Instructio continet normas servandas in Oratione XL Horarum pro Urbis Ecclesiis ac pro eis ubi illa de mandato Ordinarii est observanda. S. R. Congregatio declaravit «... praedictam Instructionem extra Urbem non obligare; laudandos tamen qui se illi conformare student» (D. 2403).

22. — TYPICAE EDITIONES VATICANAE LIBRORUM PRO CANTU GREGORIANO declaratae sunt:

KYRIALE SEU ORDINARIUM MISSAE (14 Augusti 1905).

GRADUALE (7 Augusti 1907).

ANTIPHONALE DIURNUM (8 Decembris 1912).

ARTICULUS III.

De Rubricis deque earum obligatione.

23. — RUBRICAE vocantur regulae in liturgicis Libris insertae, determinantes quando, quomodo et quaenam preces dicendae vel quinam servandi sunt ritus in sacris Functionibus peragendis. Rubricae ergo cuiuslibet liturgici libri definiri possunt: Regulae quibus externus Dei cultus in Ecclesia Catholica ordinatur.

Dicuntur *Rubricae* a quadam terra rubra ad colorandum apta; metonymice vero antiqui hoc utebantur vocabulo ad significandum sive inscriptiones, sive titulum illius, quod in textu vel capitulo exponebatur. Hic mos quondam vixit et in iure romano et in iure canonico, legis vel canonis titulum rubro colore designandi; et quondam in antiquioribus liturgicis libris normae divina Officia celebrandi rubro colore inserebantur, ut a precum formulis distinguerentur; omnes regulae ad Horas canonicas rite persolvendas, Missamque celebrandam, Sacramenta administranda aliasque sacras peragendas Functiones, Rubricae appellatae sunt.

24. — RUBRICAE distinguuntur in: ESSENTIALES et ACCIDENTALES: *Essentiales* si respiciunt essentiam Sacramenti: v. g. in ordinatione

Diaconi, traditio libri Evangeliorum et verba comitantia; vel respiciunt validitatem alicuius Functionis: v. g. in consecratione Altaris omissio formulae dicendae dum singulas Cruces cum Oleo Catechumenorum et cum sacro Chrismate Episcopus facit.

Accidentales si validitatem alicuius ritus non afficiunt, v. g. omissio Commemorationis in Missa faciendae.

25. — Omnes librorum liturgicorum Rubricae, illis exceptis quae libertatem aperte relinquunt (v. g. in Pontificali Romano, Ord. ad visit. Parochias: «*Pontifex... si celebrare voluerit...*»; in Missali Rom., Rubr. spec. in Festo SS. Corporis Christi: «... *Sequentia ad libitum Celebrantis omitti potest*»), obligant in conscientia, nempe sub gravi vel levi pro materiae natura. Si S. R. Congregationis Decreta, quae omnia, perpaucis exceptis, nihil aliud sunt nisi declarationes vel confirmationes Rubricarum, in conscientia obligant cur obligare non deberent ipsae Rubricae? Accurate ergo serventur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipuntur sive in divino Officio recitando, sive in Missa celebranda, sive in Sacramentis et Sacramentalibus administrandis (C. I. C. 135; 733, § 1; 1148, § 1). «*Id postulat obsequium quo sacrorum Ministri revereri debent regulas quibus Deus honoratur, a patribus nostris et praesertim a Christi Vicario traditas; id exigit bonus ordo et communis aedificatio populorum, ut sicut una fides nos coniungit, ita et unus ritus in Romana Ecclesia fratres nos esse demonstret*» (Piacenza, *Praelectiones de S. Liturgia*, pag. 21).

ARTICULUS IV.

De Sacra Rituum Congregatione.

26. — S. RITUUM CONGREGATIO instituta fuit a Sixto V, per Constitutionem: «*Immensa aeterni Dei*» diei 22 Ianuarii 1588 et a Pio X, per Constitutionem: «*Sapientis consilio*» diei 29 Iunii 1908 et *Motu proprio*, die 16 Ianuarii 1914, reformata quoad competentiam.

Iuxta vero Codicem Iuris Canonici: «*Congregatio Sacrorum Rituum ius habet videndi et statuendi ea omnia quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura aliaque id genus, de quibus, sive servato ordine iudiciario, sive in linea disciplinari, disceptetur.*»

« Eius proinde est praesertim advigilare, ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis Officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes concedere opportunas; insignia et honoris privilegia, tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

« Denique ea omnia agit quae ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei vel ad sacras Reliquias quoquo modo referuntur » (C. I. C. 253).

27. — S. R. Congregatio negotia ad suam competentiam, nomine Summi Pontificis et eiusdem auctoritate expedit, absque ulla territorii limitatione, sed nihil grave aut extraordinarium in eadem Congregatione agitur, nisi antea Romano Pontifici fuerit significatum.

Negotia tractantur iuxta normas tum generales tum particulares quas Pontifex praestituerit (Cfr. C. I. C. 243, § 1; 244, § 1).

Praeterea S. R. Congregatio ad explenda negotia, quae iure proprio ipsi non competunt, v. g. mutationes Rituum, textus Rubricarum aut formularum, Festorum extensio aut translatio etc., iterum ac saepius potestatem delegatam recipit, quae exponi solet in ipso Decreto verbis: ... *de mandato SS. Domini nostri N., S. R. C. statuit ac declaravit...* vel: *SS. Dominus noster, referente infrascripto S. R. C. Secretario... statuit et decrevit...* vel etiam: ... *vigore facultatum sibi specialiter a SS. Domino tributarum...* et similibus.

28. — S. R. Congregationi praeest Cardinalis Praefectus, qui cum Praelato Secretario et Substituto constituit congressum ordinarium pro congregatione ordinaria, nam Dicasterium hoc duplicem habet congregationem: ordinariam et extraordinariam, cui reservantur causae de Beatificatione et Canonizatione Servorum Dei. Adsunt quoque plures Cardinales, necnon Officiales Praelati inter quos Promotor Generalis et Sub-Promotor Fidei, Adessor, Sacrista Summi Pontificis, Protonotarius Apostolicus, Decanus, Pro-Decanus et Auditor senior S. R. Rotae, Magister Palatii et Magister Caeremoniarum Apostolicarum.

Duplex est Consultorum Collegium, alterum pro quaestionibus ad sacram Liturgiam et ad sacras Reliquias spectantibus, alterum pro causis de Beatificatione et Canonizatione Servorum Dei.

ARTICULUS V.

De aliquarum SS. Congregationum competentia circa ea quae etiam sacram Liturgiam respiciunt.

29. — CONGREGATIO S. OFFICII. — « Ipsa una competens est circa ea omnia quae ieiunium eucharisticum pro Sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt » (C. I. C. 247, § 5) etiam si sodales religiosi (l. c. 251, § 3).

30. — CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM. — Ad hanc sacram Congregationem recurrendum est pro omnibus facultatibus necessariis ad SS. Eucharistiae adervationem, ad erectionem Altaris portatilis, Oratorii privati, circa horam celebrationis Missae; ad utendum pileolum vel capillamentum in Missae celebratione; ad celebrationem Sacerdotis caeci vel caecutientis; ad celebrationem Missae in navi; ad sacrorum Ordinum extra tempora collationem.

31. — CONGREGATIO CONCILII. — Congregatio haec curat quae ad praecedentiae ius pertinent, salvo iure SS. CC. de Sodalibus Religiosis et Caeremonialis.

32. — CONGREGATIO CAEREMONIALIS. — « Ad Congregationem Caeremonialem pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum Functionum quas Patres Cardinales extra pontificale Sacellum peragunt; itemque eadem Congregatio cognoscit quaestiones de praecedentia tum Patrum Cardinalium tum Legatorum quos variae Nationes ad Sanctam Sedem mittunt » (C. I. C. 254).

ARTICULUS VI.

De S. Rituum Congregationis Decretis et de eorum obligatione.

33. — DECRETA S. R. Congregationis alia sunt GENERALIA, alia PARTICULARIA et alia AEQUIVALENTER GENERALIA.

GENERALIA ea sunt quae legem constituunt pro universa Ecclesia Latina et indicantur saepe sub titulo: *Urbis et Orbis*, vel: *Decretum Generale*, vel: *Decretum*, nulla addita mentione loci particularis.

PARTICULARIA quae de obiecto particulari agunt, v. g. de aliqua particulari consuetudine et pro loco particulari vel particulari Ecclesia feruntur. Haec pro titulo habere solent nomen Dioeceseos vel Ordinis a quo postulatum vel dubium emanat et ad quem diri-

guntur, v. g. *Venetiarum, Toletana, Ordinis S. Benedicti, Ordinis Cistercensis, Ordinis S. Benedicti Congregationis Gallicae*, etc.

GENERALIA AEQUIVALENTER dicuntur ea quae licet ad locum vel Dioecesim vel Ordinem dirigantur, tamen respiciunt obiectum ordinis generalis, v. g. Decretum sub n. 4349 inscriptum « *Lauden.* » continet dubium: « An in Missa concessa de Sacr. Corde Iesu, prima feria sexta cuiusvis mensis, recitanda sit Collecta imperata *pro re gravi*? Et quatenus affirmative an etiam sub unica conclusione? Et S. R. C. ita rescribendum censuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Hoc autem responsum non solum valet pro Laudensi Dioecesi, sed etiam pro omnibus Dioecesibus.

« Decreta a S. R. C. emanata eandem habent auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae » (D. 2916).

34. — Decreta S. R. Congregationis eduntur in Commentario Officiali: « *Acta Apostolicae Sedis* », et, nisi aliud in Decretis ipsis expressum fuerit, vim legis habent expletis tribus mensibus a die qui Actorum numero appositus est (C. I. C., 9) scilicet non a die in fine Decretorum apposita, sed a die quo Commentarium Officiale editur, qui in ipsius externa fascicula assignatur.

35. — Nova Collectio Decretorum S. R. Congregationis edita fuit anno 1898, eamque Summus Pontifex Leo XIII, per Decretum: « *Urbis et Orbis* » diei 16 Februarii eiusdem anni, « apostolica sua auctoritate approbavit atque authenticam declaravit; simulque statuit Decreta hucusque evulgata in iis, quae a Decretis in hac collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quae pro particularibus Ecclesiis indulti aut privilegii rationem habeant ».

Collectionis Decreta solemus citare indicando tantum litteram: D, cum numero ipsius Collectionis.

36. — Ut recte Decreta cognosci et intelligi possint, declaramus formulas quibus in iisdem Decretis S. R. Congregatio uti solet.

I. - *Affirmative* vel *Negative*, sine ullo addito verbo, per se patent; dirimitur enim definitive propositionis dubium.

II. - *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam*, vel: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. S. Congregatio utitur hac formula, quando propositum dubium ex duabus constat partibus, et per se patet.

III. - *Affirmative*, vel: *Negative in casu*, vel: *Prout iacet*, vel: *Uti proponitur*, tunc, S. Congregatio intendit responsum applicandum tantum in casu de quo dubium agit non vero in aliis casibus.

IV. - *Affirmative et ad mentem*, vel: *Negative et ad mentem*, indicat quod ad responsum adnexa est declaratio mentis S. Congregationis et saepe mens exposita est verbis: *mens est*, etc.

V. - *Affirmative et amplius*, *Negative et amplius*, indicat dubium pluries discussum fuisse nec denuo reproponi posse. Non indicat vero, ut nonnulli scriptores tradiderunt, *plus quam affirmative* vel *negative*.

VI. - *Facto verbo cum Sanctissimo*; hac utitur formula S. Congregatio quando agitur de re magni momenti et Summi Pontificis voluntatem exquirere censuit.

VII. - *Nihil*, vel: *Lectum*, vel: *Relatum*, indicat quod propositum dubium a S. Congregatione admissum non fuit.

VIII. - *In decisis*, indicat responsum alias iam datum observandum esse, neque amplius esse locum interloquendi.

IX. - *Dentur Decreta*; quando dubium iam ab aliis Decretis, citatis, resolutum fuit.

X. - *Serventur Rubricae*; responsio haec declaratione non indiget.

XI. - *Dilata*, significat quod responsio dilata fuit, ut maturiori examini subiiciatur.

XII. - *Consulta probatos Auctores*; S. Congregatio huiusmodi utitur formula, quando rem ab auctoribus agitatam resolvere noluit et in neutram partem movere intendit.

ARTICULUS VII.

De Consuetudine in Iure Liturgico.

37. — In Codice Iuris Canonici haec habentur:

« Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse *reprobentur*, tanquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere; aliae, quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat » (C. I. C. 5).

« Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis Superioris ecclesiastici unice obtinet » (l. c., 25).

« Iuri divino sive naturali sive positivo nulla consuetudo potest aliquatenus derogare; sed neque iuri ecclesiastico praeiudicium affert,

nisi fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta; contra legem vero ecclesiasticam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis. Consuetudo quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis» (l. c., 27).

«Firmo praescripto can. 5, consuetudo contra legem vel praeter legem per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iisdem mentionem fecerit, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares» (l. c., 30).

38. — Quum Rubricae tanquam verae leges ecclesiasticae habendae sint, perspicue videtur etiam illis derogari posse iuxta praefatos canones per contrarias consuetudines debitis praeditas qualitatibus. Et S. R. Congregatio laudabiles antiquas Ecclesiae consuetudines, etiam liturgicis libris contrarias, numquam reprobavit (DD. 132; 140; 143; 144; 151; 154; 218; 229; 256; 299; 794), sed reiecit tanquam abusus et corruptelas, consuetudines illas contrarias debitis qualitatibus carentes (DD. 1194; 1293; 2050; 2989; 3104 ad 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10, 11, 12; 3333).

Innocentius XIII in Constitutione: «*Apostolici muneris*» diei 13 Maii 1723, innovata a Benedicto XIII per Constitutionem: «*In supremo*» diei 23 Sept. 1724, Episcopis iniungit ut «abusus omnes qui in Ecclesiis aut saecularibus aut regularibus contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum et Ritualis vel Rubricas Missalis et Breviarii irrepererint studeant omnino remove. Et si adversus ea quae in dicto Caeremoniali statuta sunt consuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari, utpote irrationabilem, de iure non posse; executioni eorum, quae in dicto Caeremoniali constituta sunt, diligenter incumbant, nec ulla suspensiva appellatio admittatur».

Item Benedictus XIII in Concilio Romano an. 1725 distincte praecipit «Ut contraria omnia quae in Ecclesiis seu saecularibus seu regularibus (exceptis iis quae proprio vel Ritualis vel Missali vel Breviario utuntur a S. Sede approbato) contra praescriptum Pontificalis Romani et Caeremonialis Episcoporum, vel rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint (Episcopi) detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant... quavis non obstante... immemorabili allegata consuetudine».

39. — CONSUECUDINES S. LITURGIAM RESPICIENTES A CODICE IURIS CANONICI REPROBATAE:

I. - Dignitates, Canonici et Beneficarii, «vestem choralem aut specialia insignia capitularia adhibere possunt in tota dioecesi in qua est Capitulum, sed, reprobata contraria consuetudine, non extra dioecesim, nisi vel Episcopum comitentur vel Episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisque sollemnitatibus» (C. I. C. 409, § 2).

II. - «Reprobata quavis contraria consuetudine, Sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveatque ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat» (l. c., 818).

III. - «Nunquam tamen, nisi de peculiari licentia Romani Pontificis, minores ordines cum subdiaconatu duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur; imo nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul» (l. c., 978, § 3).

IV. - «Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora praecedentibus paragraphis praescripta; quae servanda quoque sunt, cum Episcopus latini ritus ordinat ex apostolico indulto clericum ritus orientalis aut contra» (l. c., 1006, § 5).

40. — «Locorum Ordinarii advigilent ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praesefrens.

«Si loci Ordinarius leges pro suo territorio hac in re tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque, obligatione tenentur easdem servandi; et Ordinarius potest eorumdem Ecclesias vel publica Oratoria in hunc finem visitare» (C. I. C. 1261).

41. — Magistri Caeremoniarum alique, qui vident in Ecclesiis non peragi Functiones iuxta Rubricas nec observari Decreta et Resolutiones Sacrae Rituum Congregationis, adire debent loci Ordinarium «qui stricte tenetur opportunis remediis providere, ut Rubricae et S. R. C. Decreta rite serventur; si quid vero dubii occurrat, recurrendum est ad eandem Sacram Congregationem pro declaratione» (D. 2621 ad 1).

42. — Ordinarii ergo nequeunt iudices esse ad declaranda dubia super sacris Ritibus et Caeremoniis exorta (D. 179 ad 1), sed to-

lerare possunt quasdam consuetudines iuri liturgico contrarias, si, pro locorum ac personarum adiunctis, existiment eas prudenter submoveri non posse (DD. 3043 ad 5; 3333 ad 2; 3337; C. I. C. 5).

43. — «Ex praefatis, concludimus cum cl. C. Callewaert (*Liturgicae Institutiones*, Tract. I *De S. Liturgia universim*, n. 141), elucet quam sollicito religionis ac pietatis affectu curet Ecclesia ut omnia quae ad Supernae Maiestatis cultum pertinent, omni qua par est dignitate peragantur. Si non praeceptis semper, regulis tamen directivis auctoritate sanctissima conditis, etiam minima quaeque determinavit ut discamus et nos etiam de minimis in Dei cultum curam habere sanctam et sedulam. His enim et ostenditur et fovetur *delicata* illa, qualem habere nos sacerdotes decet erga Deum devotio et pietas. “Quod minimum, ait S. Augustinus, minimum est, sed in minimis fidelem esse magnum”, (*De doct. christiana*, I. IV, n. 35). Nam “*qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est*”, (Luc. XVI, 10). Qua fidelitate haurimus ex liturgia, pro nobis et pro fidelibus, illos fructus, quos Ecclesia nos a Deo efflagitare docet in Oratione Sabbati post Dom. Passionis: devotionis augmentum, eruditionem sacram, potiora gratiae dona et agendi rationem divinae Maiestati gratiorem. “Proficiat, quaesumus Domine, plebs tibi dicata piae *devotionis* affectu: ut sacris actionibus (h. e. Caeremoniis) *erudita*, quanto *maiestati tuae fit gratior*, tanto *donis potioribus* augeatur. Per Dominum.,,».

CAPUT II.

DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

44. — Tempus supputare idem est ac motus secundum prius et posterius metiri et numerare. Haec motuum numeratio fit tempus in varias, aequales et determinatas partes dividendo. Huiusmodi partes sunt: horae, dies, menses et anni.

45. — Tempora sumi possunt: NATURALITER, CIVILITER, LITURGICE, et CANONICE.

I. - NATURALITER, si a momento ad momentum computentur; hinc annus astronomicus constat 365 diebus, 5 horis, 48 minutis primis, 45", 98 quae horae et minuta cumulata, quaternis annis, annum bissextilem constituunt.

II. - CIVILITER annus et menses ad dies numerantur, dies autem a media nocte ad mediam noctem. Annus civilis constat 365 diebus (bissextiles anni, 366 diebus), duodecim mensibus, quorum septem constant 31 diebus, quatuor 30 diebus, unus 28 diebus (bissextilibus annis, 29 diebus). Annus civilis incipit die 1 Ianuarii, qualicumque die infra hebdomadam occurrat.

III. - LITURGICE dies computantur a primis vespers unius diei ad crepusculum vespertinum integrum subsequens diei.

Annus liturgicus non diebus, sed hebdomadis integris constat, numero 52 vel 53 et semper inchoatur Dominica proximior Festo S. Andreae Apostoli; quae occurrere potest a die 27 Novembris ad diem 3 Decembris inclusive et vocatur: «Dominica prima Adventus».

Dies infra hebdomadam, in oppositione ad Dominicam, appellantur: «feriae», et quum Dominica sit prima hebdomadae dies, quinque sequentes dies vocantur respective: feria secunda, feria tertia, etc.; dies vero post feriam sextam dicitur: Sabbatum.

IV. - CANONICE dies constat 24 horis supputandis continuo a media nocte; hebdomada 7 diebus, mensis 30 diebus; annus 365 diebus, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in Calendario (C. I. C. 32).

«In supputandis horis diei standum est communi loci usui: sed in privata Missae celebratione, in privata Horarum canonicarum recitatione, in sacra Communionem recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale, sive verum sive medium, aut legale, sive regionale sive aliud extraordinarium» (*l. c.*, 33, § 1).

Ut autem termini in allato canone adhibiti melius intelligantur haec adnotamus:

A) TEMPUS LOCALE VERUM illud dicitur quod motu terrae circa solem determinatur et proinde etiam tempus verum astronomicum vocatur; quia autem terra non semper eadem circum solem celeritate circuit, ideo fit ut tempus verum habeat singulis diebus parvas varietates ex hac maiori minorive celeritate determinatas; dicitur autem locale, quia, iuxta locorum longitudes, variat numeratio horarum, cum sol in suo motu diurno apparente, diversis horis meridiano cuiusque loci supersit.

B) TEMPUS LOCALE MEDIUM ILLUD dicitur quod ad variationes quae in tempore locali habentur evitandas excogitarunt homines, motum aliquem uniformem terrae circa solem fingentes, ita tamen ut quater, singulis annis, horae temporis medii localis cum horis temporis localis veri coincident.

TABULA EX QUA APPARET DIFFERENTIA
INTER TEMPUS LOCALE VERUM ET TEMPUS LOCALE MEDIUM

DIES	5		10		15		20		25		30	
	H	M	H	M	H	M	H	M	H	M	H	M
MENSES												
Ianuarus	0	6	0	8	0	10	0	11	0	13	0	14
Februarius	0	14	0	14	0	14	0	14	0	13	—	—
Martius	0	12	0	10	0	9	0	8	0	6	0	5
Aprilis	0	3	0	1	0	0	11	59	11	58	11	57
Maius	11	57	11	56	11	56	11	56	11	57	11	57
Iunius	11	58	11	59	0	0	0	1	0	2	0	3
Iulius	0	4	0	5	0	6	0	6	0	6	0	6
Augustus	0	6	0	5	0	4	0	3	0	2	0	1
September	11	50	11	57	11	55	11	53	11	52	11	50
October	11	48	11	47	11	46	11	45	11	44	11	44
November	11	44	11	44	11	45	11	46	11	47	11	49
December	11	51	11	53	11	55	11	58	0	0	0	3

C) TEMPUS LEGALE. — Tempus locale medium est ubique uniforme toto anno, at solummodo in locis quae praecise inveniuntur sub eodem meridiano seu sub eodem praecise gradu longitudinis; et variationes patitur pro maiori minorive distantia orientali vel occidentali ab illo meridiano seu ab illo gradu; ideo tempus locale medium locale vocatur, quia variat pro locorum varietate. Variatio haec non pauca incommoda relationibus commercialibus et viae ferreae itineribus afferre consueverat, quapropter, ad haec evitanda incommoda, tempus legale regionale inventum est.

Est autem tempus legale illud quod lege, praesertim civili, praescriptum est; at non necessario regionale, sed vel astronomicum vel medium locale esse potest; de facto tamen saltem in regionibus nostris regionale est.

Tempus autem legale regionale est extensio ad determinatas regiones vel etiam nationes temporis localis medii alicuius determinati

meridiani, mediante fuso horario. Est autem fusus horarius spatium comprehensum inter circulos meridianos 15 gradus longitudinis, distantes, quod spatium terra una hora in rotatione circa solem percurrit.

D) TEMPUS LEGALE EXTRAORDINARIUM illud est a lege statutum, temporanee tantum.

Quoniam in nostro Opere agimus de iis quae sacram Liturgiam respiciunt, omittimus alias regulas circa temporis supputationem canonice, quae regulae inveniuntur in ceteris canonibus Iuris canonici (33, § 2; 34 et 35) et fusius a Canonistis dilucidatae.

CAPUT III.

DE ORDINARIIS

46. — ORDINARIi in iure distinguuntur in ORDINARIOS LOCI seu locorum et in ORDINARIOS SIMPLICITER. Ordinarii loci potestas praecipue a territorio determinatur; Ordinarii simplicis a subditis.

Sicut in iure canonico ita et iure liturgico, cum Decreta, Leges, Rescripta, Responsa, etc., de Ordinariis loquuntur, intelliguntur:

I. ORDINARIi LOCORUM:

1. pro universa Ecclesia: Romanus Pontifex;
2. pro suo quisque territorio:
 - A) Episcopus residentialis;
 - B) Abbas vel Praelatus *nullius*;
 - C) Vicarius Generalis Episcopi residentialis et Abbatis vel Praelati *nullius*;
 - D) Administrator Apostolicus;
 - E) Vicarius et Praefectus Apostolicus;
 - F) Qui, praedictis deficientibus, succedunt interim in regimine vel:
 - a) Ex praescripto iure nempe:
 - α) Capitulum Cathedrale vel Abbatiale aut Praelatium ante electionem Vicarii Capitularis;
 - β) Vicarius Capitularis;
 - γ) Pro-vicarius vel Pro-paefectus Apostolicus;
 - b) Ex probatis constitutionibus, deficiente Abbate vel Praelato *nullius*, succedunt interim in regimine sive Abbatiae sive Praelaturae *nullius*.

Nec alii, praeter eos quos supra diximus, ut Ordinarii locorum intelligendi sunt quoad iuridicos et liturgicos effectus, nisi quis expresse

excipiatur, ut accidit v. g. de Vicario Generali, qui sine mandato speciali nequit praestare consensum pro Ecclesiae aedificatione (C. I. C. 1162, § 1); de Vicario Capitulari, qui, etsi caractere episcopali insignitus, in Functionibus episcopalibus uti nequit Throno cum baldachino (C. I. C. 435, § 2).

II. — ORDINARIIS SIMPLICITER SUNT Superiores maiores Religionum Clericalium exemptarum nempe:

1. Abbas Primas;
2. Abbas superior Congregationis monasticae;
3. Abbas monasterii sui iuris licet ad monasticam Congregationem pertinentis;
4. Superior domus *sui-iuris* quovis nomine;
5. Supremus Religionis Moderator;
6. Superior Provincialis;
7. Vicarius, tum supremi Moderatoris religionis, tum Superioris Provincialis;
8. Qui ad instar Provincialium potestatem habent ut Commissarii Provinciales, Visitatores, Vicarii Missionum et, dummodo tamen ipsis ordinaria, licet vicaria, potestas competat (C. I. C. 198; 488, 8^o).

CAPUT IV.

DE S. R. ECCLESIAE CARDINALIBUS

ARTICULUS I.

De quibusdam notionibus generalibus.

47. — « S. R. E. Cardinales Senatam Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consilarii et adiutores assistunt » (C. I. C. 230).

48. — « Cardinales libere a Romano Pontifice ex toto terrarum orbe eliguntur, viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes » (C. I. C. 232, § 1).

Romanus Pontifex de iure ordinario solet creare et publicare Cardinales in Consistorio (C. I. C. 233, § 1); sed etiam eos creare potest extra Consistorium sua simplici voluntate sufficienter expressa.

Vi creationis ad Cardinalatum, electi obtinent ius ad electionem Romani Pontificis et omnibus aliis gaudent privilegiis atque obligationes habent quae Cardinalibus competunt (*l. c.*).

« Si tamen Romanus Pontifex creationem alicuius in Consistorio annuntiaverit, eius nomine sibi in pectore reservato, sic promotus nullis interim gaudet Cardinalium iuribus aut privilegiis, sed, postquam a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem fruitur a publicatione, iure vero praecedentiae a reservatione in pectore » (*l. c.*, § 2).

49. — Dignitas Cardinalatus incompatibilis est cum aliis dignitatibus et beneficiis et ideo « Nisi aliter in casibus particularibus fuerit a Sancta Sede provisum, per promotionem ad sacram purpuram non solum ipso facto vacant dignitates omnes, ecclesiae, beneficia quae promotus possideat, sed etiam pensiones ecclesiasticae amittuntur » (*l. c.*, 235).

50. — Cardinalium coetus vocatur SACRUM COLLEGIUM et in tres ordines distribuitur:

1. EPISCOPALEM ad quem pertinent sex Cardinales dioecesibus suburbicariis praepositi (1).

2. PRESBYTERALEM qui constat Cardinalibus quinquaginta, caractere episcopali insignitis, quibus a Romano Pontifice assignatur in Urbe Ecclesia, quae proprio nomine « *Titulus* » appellatur (2).

3. DIACONALEM qui quatuordecim Cardinalibus constat, saltem in ordine presbyteratus constitutis, quibus a Romano Pontifice assignatur in Urbe Ecclesia quae proprio nomine « *Diaconia* » appellatur (C. I. C. 231) - (3).

(1) Sedes suburbicariae de iure viginti septem sunt nempe: Ostiensis, Albanensis, Tusculana, Praenestina, Portuensis cui adnexa est S. Rufina, Sabina, Veliterna; sed Cardinali Decano reservata est dioecesis Ostiensis, cui, unione personali dioecesis quae ab ipso Cardinali ante decanatum possidebatur unienda est (*Motu proprio* Pii Pp. X « *Edita a nobis* », 5 Maii 1914, Const. Benedicti Pp. XV « *Ex actis* », 1 Feb. 1915).

(2) Tituli presbyterales quinquaginta tres numerantur scilicet: S. Agnetis extra moenia, S. Augustini, S. Anastasiae, Ss. Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri, Basilicae Ss. XII Apostolorum, S. Balbinae, S. Bartholomaei in Insula, S. Bernardi ad Thermas, Ss. Bonifacii et Alexii, S. Callisti, S. Caeciliae, S. Clementis, S. Chrysogoni, S. Crucis in Hierusalem, S. Eusebii, S. Ioannis ante Portam Latinam, Ss. Ioannis et Pauli, S. Hieronymi Illyricorum, S. Laurentii in Damaso, S. Laurentii in Lucina, S. Laurentii in Panisperna, Ss. Marcellini et Petri, S. Marcelli, S. Marci, S. Mariae Angelorum in Thermis, S. Mariae de Pace, S. Mariae de Victoria, S. Mariae de Populo, S. Mariae in Ara coeli, S. Mariae Transpontinae, S. Mariae trans Tiberim, S. Mariae in Via, S. Mariae supra Minervam, S. Mariae Novae, Ss. Nerei et Achillei, S. Honuphrii in Ianiculo, S. Pancratii, S. Petri in Monte Aureo, S. Petri ad Vincula, S. Praxedis, S. Priscae, S. Pudencianae, Ss. Quatuor Coronatorum, Ss. Quirici et Iulittae, S. Sabinae, S. Martini in Montibus, S. Silvestri in Capite, S. Syxti, S. Stephani in Coelio Monte, S. Susannae, S. Thomae in Parione, Ss. Trinitatis in Monte Pincio, S. Vitalis.

(3) Diaconiae sexdecim numerantur: S. Hadriani, S. Agatae, S. Angeli in Foro Piscario, S. Caesarii in Palatio, Ss. Cosmae et Damiani, S. Eustachii, S. Georgii ad Velabrum, S. Mariae ad Martyres, S. Mariae Scalaris, S. Mariae in Aquiro, S. Mariae in Cosmedin, S. Mariae in Domnica, S. Mariae in Porticu, S. Mariae in Via Lata, S. Nicolai in Carcere Tulliano, Ss. Viti, Modesti et Crescentiae.

51. — In Sacro Collegio varia distinguuntur OFFICIA:

1. CARDINALIS DECANUS « idest antiquior promotione ad aliquam sedem suburbicariam, cui tamen nulla est in ceteros Cardinales iurisdictio, sed ipse primus habetur inter aequales » (C. I. C. 237, § 1).

Cardinalis Decanus semper est Episcopus Ostiensis, et retinet etiam dioecesim suburbicariam cui praepositus erat ante decanatum.

« Vacante Decanatu, ipso iure succedit Subdecanus, sive is tempore vacationis sit praesens in Curia, sive in sua suburbicaria dioecesi commoretur, sive absit ad tempus ob sibi commissum munus a Romano Pontifice » (l. c., § 2).

2. CARDINALIS CAMERARIUS S. COLLEGII qui bonorum temporalium S. Collegii administrator est.

Officio hoc omnes Cardinales in Curia residentes per turnum annuale funguntur.

3. CAPITA ORDINUM vocantur Cardinales seniores singulorum Ordinum, episcopalis, presbyteralis, diaconalis.

Eorum munera praesertim absolvenda sunt vacante Sede Apostolica, et enumerantur in Constitutione Pii Pp. X « Vacante Sede Apostolica » 25 Decemb. 1904.

52. — DE OPTIONE. — « Optio est actus legitimus quo Cardinalis petit a Romano Pontifice in Consistorio mutare titulum aut diaconiam vel transire ad ordinem superiorem » (P. Matthaeus a Coronata, *Inst. Iuris Can.*, vol. I, n. 323).

Cardinales Diaconi ad ordinem presbyteralem transire possunt si per integrum decennium in ordine diaconali permanserint (C. I. C. 236, § 1).

« Cardinales quibus una ex Ecclesiis suburbicariis est assignata, aliam optare nequeunt » (l. c., § 4).

ARTICULUS II.

De Cardinalium iuribus, privilegiis ac obligationibus ad sacram Liturgiam spectantibus.

53. — I. PRIVILEGIA ET IURA OMNIBUS CARDINALIBUS COMMUNIA. — Cardinales omnes a sua promotione in Consistorio facultatem habent:

1. Gaudendi titulo: « *Eminentiae* » et: « *Eminentissimi* » atque praerogativa principum Romanorum; hinc solis Regibus et Principibus hereditariis locum cedunt; ceterisque principibus familiarum regnantium aequiparantur;

2. Induendi habitum praelatitium rubri vel violacei coloris, pro diversitate temporis, et alium qui *pianus* vocatur; induendi rocchettum et mozzettam extra Urbem, in Urbe vero rocchettum, mantelletum et mozzettam; cappam deferendi; crucem pectoralem gestandi (C. I. C. 239 § 1, 13°); utendi annulo cum gemmis; pileo et bireto rubri coloris, pileo rubri coloris cum habitu praelatitio, et alio usuali nigri coloris cum cordulis et flocculis sericis rubri coloris auro intermixtis;

3. Verbum Dei ubique praedicandi (l. c., 3°);

4. Omittendi in precibus ferialibus ad Vesperas et ad Laudes Versiculum: *Oremus pro Antistite nostro N.* cum suo Responsorio; et in Canone loco verborum: *et Antistite nostro N.* dicendi: *et me indigno servo tuo;*

5. Sequendi ubique proprium calendarium in celebratione Missae (l. c., 9°);

6. Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam Missam in Feria V hebdomadae maioris ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini (l. c., 4°);

7. Celebrandi super aram portatilem non solum in domo propriae habitationis, sed etiam ubicumque degunt; et permittendi ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur (l. c., 7°);

8. Celebrandi in mari, debitis cautelis adhibitis (l. c., 8°);

9. Fruendi Altari privilegiato personali quotidiano (l. c., 10°);

10. Fruendi sacello ab Ordinarii visitatione exempto, ibique lucrandi indulgentias quascumque ipsi et familiares (l. c., 18°; 11°);

11. Sacrum celebrandi in quolibet privato sacello sine praeiudicio illius qui indulto gaudet (l. c., 14°);

12. Pontificalia cum throno et baldachino peragendi in omnibus ecclesiis extra Urbem, Ordinario praemonito, si Ecclesia sit cathedralis (l. c., 15°);

13. Utendi mitra et baculo pastorali (l. c., 13°), sed non in patriarchalibus Urbis Basilicis (ex Resp. Pont. Comm. ad Cod. can. authent. interpr. 29 Maii 1934) nisi agatur de sacris functionibus quae ex legibus liturgicis baculi usum requirunt.

Feria sexta in Parasceve et in Officiis ac Missis Defunctorum, loco mitrae e simplici serico damasceno, utendi mitra damascena quae praesefert opere textili unicum magnum florem seu folium.

14. Benedicendi ubique populo more Episcoporum; sed in Urbe in ecclesiis, exceptis patriarchalibus Basilicis (ex Resp. Pont. Comm. ad Cod. can. authent. interpr. 29 Maii 1934), tantum, piis locis et fidelium consessibus (l. c., 12°);

15. Honoribus locorum Ordinariis tribui solitis fruendi quocumque se conferant (*l. c.*, 16°);
16. Consecrationes et benedictiones locorum sacrorum peragendi, praevis Ordinarii consensu (*l. c.*, 20°; 1157);
17. Consecrationes et benedictiones Altarium, sacrae supellectilis, Abbatum aliasve similes, excepta sacrorum oleorum consecratione, si Cardinales caractere episcopali careant, ubique locorum, servatis servandis, peragendi (*l. c.*, 20°);
18. Conferendi primam tonsuram et Ordines minores, dummodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras (*l. c.*, 22°);
19. Ministrandi sacramentum Confirmationis, firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam iuris (*l. c.*, 23°);
20. Concedendi Indulgentias ducentorum dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas (*l. c.*, 24°); has Indulgentias concedere nequeunt in patriarchalibus Urbis Basilicis (ex Resp. Pont. Comm. ad Cod. can. authent. interpr. 29 Maii 1934);
21. Benedicendi ubique, solo Crucis signo, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis (*l. c.*, 5°);
22. Sub unica benedictione erigendi in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis stationes «*Viae Crucis*» cum omnibus Indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus imperitae sunt; necnon benedicendi pro fidelibus, qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes «*Viae Crucis*» visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium Indulgentiarum devoto exercitio eiusdem «*Viae Crucis*» a Romanis Pontificibus adnexarum (*l. c.*, 6°);
23. Praecedendi omnibus Praelatis etiam Patriarchis, imo ipsis Legatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens; Cardinalis autem Legatus a latere praecedit extra Urbem omnibus aliis (*l. c.*, 21°);
24. «*Si S. R. E. Cardinalis in Urbe decesserit, corpus transferendum est, funeris causa, in ecclesiam quam Romanus Pontifex designaverit; si vero extra Urbem, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci ubi mors accidit, nisi Cardinalis aliam elegerit*» (C. I. C. 1219, § 1);
25. Cardinales ius habent ut in ecclesiis sepeliantur (C. I. C. 1205, § 2).

II. - PRIVILEGIA PROPRIA CARDINALIUM ORDINIS PRESBYTERALIS: — 1. Cardinales Presbyteri in suis *Titulis*, canonica possessione capta, omnia possunt quae locorum Ordinarii in suis Ecclesiis, exceptis ordine iudiciorum et qualibet iurisdictione in fideles, sed salva potestate in iis quae ad disciplinam, morum correptionem, servitium Ecclesiae pertinent.

2. In suis *Titulis* pontificalia cum throno et baldachino peragere (C. I. C. 240, § 3).

III. - PRIVILEGIA CARDINALIUM ORDINIS DIACONALIS PROPRIA: —

1. In propriis *Diaconiis* privilegia omnia ut Presbyteri Cardinales in proprio *Titulo*.

2. In suis *Diaconiis* pontificaliter assistere possunt cum throno et baldachino, non vero Missam pontificalem celebrare.

IV. - PRIVILEGIUM CARDINALIS DECANI PROPRIUM: — «*Cardinalis decanus gaudet privilegio ordinandi et consecrandi electum Pontificem, si hic ordinatione vel consecratione episcopali indigeat, et tunc pallio utitur; quod privilegium, absente Cardinali Decano, competit Subdecano, eoque etiam absente, antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario*» (C. I. C. 239, § 2).

V. - PRIVILEGIA PROTO-DIACONI CARDINALIS PROPRIA: — 1. Pallia Archiepiscopis et Episcopis fruuntibus privilegio eorumve procuratoribus, vice Romani Pontificis, imponit (C. I. C. 239, § 3).

2. Annuntiat populo nomen novi electi Pontificis (*ibi*).

3. Coronat Romanum Pontificem (ex Const. «*Vacante Sede Ap.*», n. 91).

54. — OBLIGATIONES. — Cardinales Episcopi dioecesium suburbicariarum cum sint vere Episcopi residentiales iisdem obligationibus ad sacram liturgiam spectantibus ac alii Ordinarii tenentur, salva lege residendi ordinarie in Curia (C. I. C. 238, § 2).

Cardinales Presbyteri et Diaconi in suis *Titulis* vel *Diaconiis* peragere debent sacras Functiones ac Ordinarii in suis Ecclesiis.

«*Defuncti S. R. E. Cardinalis, qui in Urbe domicilium habebat, quamvis Episcopus suburbicarius, aut Abbas nullius esset, quaelibet sacra supellex, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, aliaeque res omnes stabiliter divino cultui destinatae, nulla habita ratione qualitatis et naturae reddituum quibus comparatae sint, cedunt pontificio sacrario, nisi Cardinalis eas donaverit aut testamento reliquerit alicui ecclesiae vel oratorio publico vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae sen religiosae.*»

« Optandum ut Cardinalis, qui huiusmodi facultate uti velit, saltem ex parte praeferat illas Ecclesias, quas in titulum, administrationem seu commendam obtinuerit » (C. I. C. 1298).

Ut canonica praescripta debitum effectum etiam in foro civili sortiantur, Cardinales tenentur obligatione curandi testamento vel alio instrumento in forma iuris civilis valido (*l. c.*, 1301, § 1).

ARTICULUS III.

De habitu Cardinalium.

55. — Cardinalium habitus duplex est: praelatitius et alius qui *pianus* vocatur. Color habitus praelatitii conveniens esse debet temporibus scilicet: ruber, violaceus et rosaceus.

S. C. Caeremonialis, ad evitandas omnes varietates coloris violacei, per Decretum diei 24 Iunii 1933 decernit « ut in posterum quando vestes violaceae sive laneae sive sericae praescribuntur, illius coloris violacei rationem conditionemque adhibeant omnes, cuius exemplar ac modulus in adiuncto folio proponitur, aliis quibuscumque coloris rationibus repudiatis atque interdictis ».

56. — Habitus praelatitius constat veste talari cum cauda quae ope globuli cum oculo firmatur in parte postica ad extremum dorsum, cui superimponitur zona serica undulata (*moire*) eiusdem vestis coloris cum duobus floccis aureis. Ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anterioris vestis partes exornans, eorum subsutum et reflexus (*paramani*) in manicis erunt serici et rubri coloris in veste rubra, in violacea rubini coloris, et rosacei coloris in veste rosacea. Reflexus (*paramani*) in manicis rocchetti erunt serici et coloris rubri quando Cardinalis veste rubea, rubini coloris quando violacea utitur, quando vero veste praelatitia rosacea induit pariter serici sed rosacei coloris erunt.

Supra rocchettum Cardinales induere debent vel mozzettam, vel mantelletum, vel mantelletum et mozzettam simul, vel cappam ut infra notabimus.

Mantelletum, mozzetta et cappa semper eiusdem coloris et panni vestis praelatitiae erunt. Exiguus torulus mantelletti collum eiusque anteriores extremitates exornans ac eius subsutum erit sericus et rubei coloris si rubei, rubini si violacei, rosacei coloris si rosacei. Mozzetta ex toto subsuta erit serico rubei coloris si rubea, rubini si violacea, rosacei si rosacea; pariter serici erunt globuli, ocelli, exiguus torulus eius extremitates anteriores et collum exornans.

Hiemis tempore habitus praelatitius erit e panno communi; aestivo tempore vero ex panno sericeo et undulato.

Cappa semper serica undulata erit eiusdem coloris vestis, cum pellibus hiberno tempore; aestivo autem, cappa rubri coloris habet sericum rubrum, violacea sericum rubini coloris. Feria VI in Parasceve cappa erit lanca cum pellibus.

57. — Habitus, qui, ex concessione eius usus a Pio Pp. IX facta, dicitur *pianus*, constat veste talari lanca nigra, non caudata, cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, rubei coloris cui superimponitur zona serica rubea undulata, cum laciniis pariter sericeis rubeis. Vesti, tempore aestivo, superimponitur peramplum pallium talare item sericum rubeum undulatum, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris; pallium vero hiemale constabit panno rubeo vel violaceo, iuxta diversitatem temporis, cum relativis ornamentis propriis respectivi coloris; ad collum ornabitur serico villosa, item respectivi coloris (scilicet ornamentorum) quod aurea tenia circumdabitur.

Collare et caligae erunt rubei coloris.

Diebus sollempnioribus, quando Cardinales induunt habitum praelatitium rubeum utuntur calceis rubri coloris, numquam vero cum habitus est violacei coloris; aliis vero diebus calceis nigris cum oris rubri coloris.

58. — Cardinales omnes semper et ubique detectam gestare possunt Crucem pectoralem (D. 4160; C. I. C. 239, § 1, 13^o) auream, vel cum gemmis vel absque, pendentem a funiculo serico rubri coloris commixto cum auro et simili flocculo retro ornato. Usus recens invaluit funiculo substituendi auream catenulam, sed in habitu praelatitio non videtur convenire, non tam relate ad habitum ipsum, quam ad sacras vestes, quas pro aliqua Functione Cardinales assumere debent.

59. — Biretum, absque flocco in medio, et pileolus, semper erunt rubei coloris et possunt esse vel ex panno, vel sericeo undulato pro temporibus anni.

60. — Galeris triplex est: 1. Galeris rubeus qui a Romano Pontifice in Consistorio publico imponitur. Olim eo Cardinales in equitibus sollempnibus utebantur, sed hodie obsolevit et tantum ad pedes defuncti Cardinalis ponitur et super illius sepulturam suspenditur.

2. Galeris usualis rubeus ornatus tenia seu lemnisco aureo in extremitate orae ac filamentis similibus ad tres alas sustinendas et cum vitta serica rubra, opere aureo reticulato exornata, ad laevam

nodo constricta, ad nodum duplicis flocci. Galerus hic utendus est cum veste sive rubra sive violacea sive rosacea.

3. Galerus usualis niger erit forma communi cum chordulis et flocculis rubri coloris auro intermixtis. Galero hoc utuntur Cardinales quando habitum *pianum* induunt.

61. — Super habitum praelatitium S. R. E. Cardinalium « nullum licet apponere decoramentum seu insigne ordinum equestrum *laicorum*, quamvis sint nobilissimi. Ratio est, quod dignitas cardinalitia, propter quam, qui assequuntur ipsam, fiunt principes electores, et eligibiles superior est quocumque alio decoramento aut insigne » (Martinucci, *Manuale Sacr. Caer.* Pars altera, vol. II, pag. 502).

62. — Cardinales qui in alma Urbe morantur, circa vestium colores et qualitates conformare se debent ad normas tradendas per intimationem Praefecti Caeremoniarum Apostolicarum de mandato Romani Pontificis.

Qui vero extra Urbem morantur, habitu praelatitio uti debent in functionibus liturgicis et aliis praestantioribus.

63. — Iuxta praxim romanam Cardinales sequentibus diebus uti debent habitu praelatitio:

RUBEO

A primis Vesperis Nativitatis Domini usque ad Sabbatum ante Dominicam in Septuagesima inclusive.

Die XIX Martii ob Festum S. Ioseph et die XXV eiusdem ob Festum Annuntiationis B. Mariae V.

A Missa Sabbati Sancti usque ad diem XXII Iunii inclusive.

A primis Vesperis S. Ioannis Baptistae usque ad diem XXVII Iunii inclusive.

A primis Vesperis Ss. App. Petri et Pauli usque ad diem XXIII Iulii inclusive.

VIOLACEO

A Dominica in Septuagesima usque ad Nonam Sabbati Sancti, exceptis diebus XIX et XXV Martii, Festa S. Ioseph et Annuntiationis B. V. M.

Die XXIII Iunii, mane, ob vigiliam S. Ioannis Baptistae.

Die XXVIII Iunii, mane, ob vigiliam Ss. App. Petri et Pauli.

Die XXIV Iulii, mane, ob vigiliam S. Iacobi Ap.

A primis Vesperis S. Iacobi Ap. usque ad diem VIII Augusti inclusive.

A primis Vesperis S. Laurentii M. usque ad diem XIII Augusti inclusive.

A primis Vesperis Assumptionis B. Mariae V. usque ad diem XXII Augusti inclusive.

A primis Vesperis S. Bartholomaei Ap. usque ad Feriam tertiam ante Tempora Autumnalia.

Feria Quinta infra Tempora Autumnalia.

A primis Vesperis S. Matthaei Ap., nisi hoc Festum occurrat in Feria IV, VI vel Sabbato Temporum Autumnalium, vel a Dominica post Tempora usque ad diem XXVI Octobris inclusive.

A primis Vesperis Ss. App. Simonis et Iudae usque ad diem XXX Octobris inclusive.

A primis Vesperis Omnium Sanctorum usque ad secundas inclusive, vel ad secundas Vesperas Dominicae, si Dominica occurrat II die Novembris.

A Missa absoluta diei Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum usque ad Sabbatum ante Dominicam primam Adventus vel ad diem XXVIII Novembris inclusive.

Die IX Augusti, mane, ob vigiliam S. Laurentii M.

Die XIV Augusti, mane, ob vigiliam Assumptionis B. Mariae V.

Die XXIII Augusti, mane, ob vigiliam S. Bartholomaei Ap.

Feria Quarta Temporum Autumnalium.

Feria sexta et Sabbato Temporum Autumnalium.

Die XX Septembris, mane, ob vigiliam S. Matthaei Ap. vel per totam diem si occurrat in Feria IV, VI vel Sabbato Quatuor Temporum.

Die XXVII Octobris, mane, ob vigiliam Ss. App. Simonis et Iudae.

Die XXXI Octobris, mane, ob vigiliam Omnium Sanctorum.

A primis Vesperis Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum usque ad Missam inclusive.

Die XXIX Novembris, mane, ob vigiliam S. Andreae Ap. vel per totam diem si occurrat in Adventu.

A primis Vesperis S. Andreae Ap., nisi hoc Festum occurrat in Adventu, usque ad Sabbatum ante Dominicam primam Adventus.

A primis Vesperis Immaculatae Conceptionis B. Mariae V. usque ad secundas inclusive.

A Dominica prima Adventus usque ad primas Vesperas Conceptionis Immaculatae B. Mariae V. exclusive.

A die IX Decembris usque ad diem XXIV eiusdem, mane.

SI CARDINALES SINT ORDINARIJ

In Festo Titularis, Dedicationis Ecclesiae Cathedralis necnon Patroni principalis Dioeceseos; item in Anniversario electionis et coronationis Summi Pontificis et in Anniversario electionis et consecrationis Episcopi ipsius, etiamsi occurrant in diebus exceptis.

In omnibus officiis pro Defunctis.

Dominica III Adventus et IV Quadragesimae aequum esset ut etiam extra Urbem habitus rosacei coloris adhiberetur.

64. — DE USU MOZZETTAE ET MANTELLETTI. — Cardinales extra Urbem utuntur semper super rocchetto mozzetta tantum, excepto casu quo in loco ipso eorum mansionis adesset Romanus Pontifex, tunc Cardinales super rocchetto induunt mantelletum et mozzettam.

65. — DE USU CAPPAE. — Cardinales, diebus solemnioribus, accedentes ad Ecclesiam ad effectum assistendi Functionibus ecclesiasticis cappam deferre debent.

66. — DE USU HABITUS PIANI. — Cardinales in congregationibus, conventibus solemnibus ecclesiasticis et civilibus habitu *piano* uti possunt.

67. — CARDINALES, EX ORDINIBUS REGULARIBUS ASSUMPTI, retinent colores habitus Ordinis sui, sed biretum et pileolus erunt rubei coloris ex panno numquam sericeo. Galerus usualis rubeus, erit eiusdem formae et materiae ac alii Cardinales.

CARDINALES, EX CONGREGATIONIBUS CLERICORUM REGULARIUM ASSUMPTI, uti possunt habitu rubro et violaceo, sed numquam ex panno serico.

ARTICULUS IV.

De quibusdam normis a S. C. Caeremonialis pro decore S. R. E. Cardinalium cum ad sacra peragenda invitantur.

68. — « Solemne semper Ecclesiae fuit, in Sacris peragendis, splendidiore ritu quandoque uti, qua exteriori pompa sensus hominum percussi, rei celebrandae magnitudinem intelligerent melius. Tunc vero divinae Christi Sponsae verba regii Vatis aptantur « *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*... Augustiorem autem quum faciant ritum, non modo Templi apparatus et ornamenta reliqua, sed etiam Sacra peragentium excellens auctoritas ac dignitas, idcirco ad solemniora haec primores Antistites invitari solent, crebrius quidem Episcopi, rarius S. R. E. Cardinales. Utriusque ordinis decori, maxime vero purpuratorum Patrum, satis lege consultum est, et sua cuique iura, honores, privilegia definita sunt, quum in ceteris, tum etiam in iis, quae ad sacros ritus quosdam splendidius celebrandos pertinent. Quia tamen nostra maxime tempora postulare videntur, ut caveatur sedulo, ne Sacrorum Antistitum maiestas quotidiano usu penes populum vilescat, Sacra Congregatio Caeremonialis censuit Ecclesiarum Urbis Rectoribus servandas normas constituere, quae sequuntur:

« I. — Quoniam interest magni, ut Patrum Cardinalium sarta tectaque servetur dignitas, quotquot in Urbe sunt Ecclesiarum Rectores admonentur, ne tam crebro, neque tam facile purpuratos Patres invitent, etiamsi de Sacris solemnioribus agatur.

« II. — In Missis et in Vesperis pontificalibus, praeterquam quod standum erit menti et praescriptis libri Caeremonialis, serventur omnino conditiones quae sequuntur:

« 1. Ut aequa sit et probanda causa, cur E. mi Patres Cardinales invitentur, idest ob singularem et non communem alicuius Festi celebritatem.

« 2. Ambitus Templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque Templum e dignioribus sit atque insignioribus.

« 3. Sacri Ministri aliique inferiores operam praestituri, numero adsint qui Liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant. Ac maiores quidem Ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti; minores vero, saltem Clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adest frequentia, sive saecularis sive regularis Cleri.

«4. Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum E. mus Vir Sacrum solemne peragit, praeter gregorianum, non alius recipitur cantus, quam qui, solis vocibus, moris est in Pontificis Maximi et Patrum Cardinalium Choris. Cantores vero, quum numero tum arte, nihil desiderandum relinquant.

«III. - Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem Festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi, quum rariora quaedam Solemnia magno apparatu densaque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana Supplicatione post Beatificationem, aut dierum octo post Canonizationem; itemque in saeculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si solemnitatis indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia E. mi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter.

«Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris Festi, velit Pontificalia exercere in Ecclesia sui Tituli, aut si cupiat Sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem Diaconis etiam Cardinalibus in propria Ecclesia competit, Ecclesiarum Rectores omnia et singula disponenda curent, iuxta praescripta superius.

«IV. - Ad Missam privatam in publicis Urbis Ecclesiis ne invitetur Patrum Cardinalium quisquam, sive ex ordine Episcoporum aut Presbyterorum, sive etiam, posito privilegio, ex ordine Diaconorum, nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta Festi solemnitatis, quae Templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari, deducique possit, retentis ad unguem sacrorum rituum praescriptis et Caeremoniarum regulis.

«V. - Eadem plane servantur, si quis Pater Cardinalis invitetur ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento. In eiusmodi ritu, ad quem etiam rarius erunt invitandi purpurati Patres, illud curae esto, ut Ministri sacri sint in aliqua Ecclesiae dignitate constituti; inferiores autem Clerici et numero et qualitate commendabiles.

«Ad novendiales vero, vel triduanas Supplicationes, etiamsi solemniore (exceptis casibus n. III relatis), non erunt invitandi quotidie Patres Cardinales; ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

«Ceterum ad quaevis Solemnia Ecclesiarum Urbis Rectores ne invitent purpuratos Patres, nisi auditis prius Apostolicarum Caeremoniarum aut Praefecto aut Magistris.

«VI. - Absolutionis ritus, post Missam de requie ab Episcopo aut Presbytero celebratam, non est a Patre Cardinali ordinis Episcoporum aut Presbyterorum peragendus, nisi quum iusta funebria persolvantur aut Summo Pontifici, aut purpurato Patri, aut catholico Principi; vel etiam sicubi solemnior fiat Commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua Communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum, modo omnia accurate servantur, quae supra dicta sunt, de Templi conditione, de Ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus.

«VII. - Haud par est, invitari Episcopos ad Pontificalia sive Missae sive Vesperarum, ubi nulla aequa suppetat ratio verae Solemnitatis, aut ubi non ante fuerit cautum diligenter, ne forte peragendis iis ritibus vel angustia loci obstet vel inservientium conditio, vel impar numerus. Quapropter Sacra Congregatio monet omnes et singulos Ecclesiarum Urbis Rectores, ut, ad episcopalis dignitatis tutelam, quae circa Templi decus et amplitudinem, quae circa solemniorem Festi rationem, Sacrorum Ministrorum aliorumque inservientium qualitatem et numerum superius praescripta sunt, ea convenienter aptent iis casibus, in quibus invitare Episcopum cupiant, sive ad Sacra illa Solemnia, sive etiam ad Missae privatae celebrationem, aut ad benedicendum populo cum Augustissimo Sacramento, aut ad huiusmodi alia» (Decretum S. C. Caeremonialis 23 Maii 1902, Rectoribus Eccl. Urbis; D. 4284-1).

E. mi Patres Cardinales S. Congregationis Caeremonialis, relatum Decretum et aliud: «*Dignitatis eminentia*» diei 30 Maii 1902 «in omnibus confirmantes, declararunt insuper, non licere mulieribus, neque si de aliqua religiosa Congregatione vel pia sodalitate sint, Solemnia Cardinalitia cantu comitari» (Ex Decr. S. C. Caeremonialis, 24 Aug. 1916; D. 4404-1).

Quae autem hisce Decretis continentur, eadem Patres Cardinales S. C. Caeremonialis in sessione diei 17 Novembris 1930 confirmarunt et in audientia die 2 Decembris eiusdem anni a Pontifice Summo concessa Secretario S. C. Caeremonialis Sanctitas Sua rata habuit quaecumque ab E. mis Patribus statuta fuerant, mandavitque ut Decretum «*Solemne semper Ecclesiae fuit*» cum E. mo Cardinali Suo in Urbe Vicario communicatum, ab eodem vicissim ad eorum omnium, quorum interesse posset, notitiam et normam transmitteretur (Ex Decr. S. C. Caerem., 2 Decemb. 1930).

CAPUT V.
DE EPISCOPIS

ARTICULUS I.

De quibusdam generalibus notionibus.

69. — «Episcopi sunt Apostolorum successores, atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum ordinaria potestate regunt sub auctoritate Romani Pontificis» (C. I. C. 329, § 1).

EPISCOPI distinguuntur:

I. - RATIONE CONCESSIONIS GRADUS in:

- a) *Episcopos electos*, post legitimam electionem;
- b) *Episcopos praeconizatos*, post legitimam electionis confirmationem factam a Sancta Sede;
- c) *Episcopos consecratos*, post acceptam consecrationem.

II. - RATIONE SEDIS in:

- a) *Episcopos residentiales*, prout sedem cum iurisdictione in definitum territorium et populum habent. Episcopi residentiales vocantur etiam *Episcopi Ordinarii*;
- b) *Episcopos titulares*, prout sedis antiquae titulum tantum habent absque iurisdictione in populo et territorio.

III. - RATIONE DEPENDENTIAE in:

- a) *Episcopos exemptos*, prout Apostolicae Sedi immediate subiecti sunt;
- b) *Episcopos suffraganeos*, prout Metropolitanae seu Archiepiscopo subsunt.

IV. - RATIONE OFFICII in:

- a) *Episcopos coadiutores*, prout dantur personae Episcopi residentialis cum iure successionis;
- b) *Episcopos auxiliares*, prout dantur personae Episcopi residentialis sine iure successionis.

70. — «Patriarchae aut Primatis titulus, praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae ad normam can. 280, nullam secumfert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet» (C. I. C. 271).

71. — «Provinciae ecclesiasticae praest Metropolitae seu Archiepiscopus, quae dignitas coniuncta est cum sede episcopali a Romano Pontifice determinata vel probata» (l. c., 272).

72. — Ad episcopalem officium obtinendum praeter electionem «necessaria est canonica provisio seu institutio, qua Episcopus vacantis dioecesis constituitur, quaeque ab uno Romano Pontifice datur» (C. I. C. 332, § 1).

Promoti ad episcopatum tenentur ante canonicam institutionem seu provisionem:

1. Emittere professionem fidei secundum formulam a Sede Apostolica probatam coram delegato ab eadem Sede. Huic obligationi non satisfacit qui fidei professionem per procuratorem emittit;

2. Edere iusiurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem secundum formulam ab eadem Sede probatam ad normam Pontificalis Romani (l. c., 332; 1406, § 1, 3^o; 1407; Pont. Rom. «*De consecr. elect. in Episc.*»).

73. — Promoti ad episcopatum, nisi legitimo impedimento prohibeantur, etiamsi S. R. E. sint Cardinales, debent intra tres menses a receptis apostolicis litteris, consecrationem suscipere, quae Romano Pontifici reservatur, ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato (C. I. C. 333; 953).

74. — «Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, Presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit» (C. I. C. 2370).

75. — Promoti ad episcopatum tenentur ad suam dioecesim pergere, nisi legitimo impedimento prohibeantur, intra quatuor menses a receptis apostolicis litteris, nisi vero agatur de Cardinali Episcopo suburbicario qui non tenetur ad habitualement residentiam in propria dioecesi (l. c. 333; 238, § 2).

ARTICULUS II.

De Episcoporum iuribus, privilegiis ac obligationibus ad sacram Liturgiam spectantibus.

76. — PRIVILEGIA AC IURA OMNIBUS EPISCOPIS COMMUNIA:

I. - AB ACCEPTA NOTITIA AUTHENTICA PERACTAE CANONICAE PROVISIONIS:

1. Gaudere titulo: «*excellentiae Reverendissimae*» (S. C. Caerem. 31-XII-1930);

2. Curare sibi amplam coronam in capite decenter formari (Caer. Ep. L. 1, cap. 1, n. 1);

3. Induere habitum praelatitium et alium qui *pianus* dicitur; rocchettum et mozzettam si moratur in dioecesi cuius electus est Episcopus; si vero extra, mantellettum vel mantellettum et mozzettam simul prout circumstantiis; cappam deferre; uti pileolo et bireto violacei coloris necnon galero pontificali et usuali cum chorulis et flocculis sericis viridis coloris (*l. c.* n. 1 et 3; D. 4284, ad III);
4. Omittere in precibus ferialibus ad Vesperas et ad Laudes Versiculum: *Oremus pro Antistite nostro N.*, cum suo Responsorio;
5. Sequi ubique proprium Kalendarium in celebratione Missae (C. I. C. 349, § 1, 1^o);
6. In Canone loco verborum: *Et Antistite nostro N.*, dicere: *Et me indigno servo tuo*;
7. Celebrare super aram portatilem non solum in domo propriae habitationis, sed ubicumque degunt; permittere ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur (*l. c.*);
8. Celebrare vel alii permittere ut coram se Missam unam in Feria V Maioris Hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativ. Domini (*l. c.*);
9. Celebrare in mari, debitis cautelis adhibitis (*l. c.*);
10. Frui Altari privilegiato personali quotidiano (*l. c.*);
11. Gaudere Oratorio privato in quo ipsi et familiares lucrari possint quascumque Indulgentias (*l. c.*);
12. Benedicere ubique populo, sed in Urbe in Ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus (*l. c.*);
13. Benedicere, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, cum omnibus Indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, Cruces, numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis; item erigere in Ecclesiis et Oratoriis etiam privatis aliisque piis locis stationes «*Viae Crucis*» cum omnibus Indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt, necnon benedicere pro fidelibus, qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes «*Viae Crucis*» visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium Indulgentiarum devoto exercitio eiusdem «*Viae Crucis*» a Romanis Pontificibus adnexarum (*l. c.*);
14. Verbum Dei ubique praedicare cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci (*l. c.*).
- SI PROMOTI AD EPISCOPATUM CANONICI SUNT, ius habent:
- a) utendi in Choro rocchetto et mantelletto loco choralis indumenti (C. I. C. 409, § 1; D. 2121);
- b) praecedentiae super omnes Canonicos et Dignitates (DD. 1046; 2447 ad 1; C. I. C. 106, 3^o);

c) dispensationis ab assistentia Episcopo Ordinario etiam pontificaliter celebranti (D. 1642).

Quamvis in privata recitatione divini Officii omittant Versiculum: *Oremus pro Antistite nostro N.*, cum suo Responsorio, tamen in Choro, est fere communis opinio, debent se cum aliis conformare.

II. - AB ACCEPTA CONSECRATIONE EPISCOPALI:

1. Uti annulo cum gemmis et crucem pectoralem detectam gestare (Pont. Rom. «*De cons. in Episc.*»; D. 4035 ad 1);
2. Deferre insignia episcopalia idest baculum et mitram ad normam legum liturgicarum (C. I. C. 349, § 1, 2^o);
3. Pergere publice ad ecclesiam, Canonicis et Clero comitantibus;
4. Sacra peragere ritu pontificali (D. 2624, n. 1);
5. Etiam in Missis privatis salutare populo verbis: *Pax vobis*, loco: *Dominus vobiscum*, post: *Gloria in excelsis*, et in fine benedicere trina benedictione (Miss. Rom. «*Rit. cel. Miss.*» Tit. V, n. 1; Tit. XII, n. 8; Caer. Episc. L. 1, cap. 29, n. 11);
6. Cum expresso consensu, vel saltem rationabiliter praesumpto, Ordinarii loci, et, si agatur de Ecclesia exempta, de consensu Superioris religiosi, exercere pontificalia idest sacras Functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, scilicet baculum et mitram, ut collatio Ordinum maiorum, consecratio Episcoporum vel Ecclesiarum vel Virginum (C. I. C. 337, § 1 et 2);
7. Sacramentalem absolutionem impertiri triplici Crucis signo et in distributione S. Communionis, extra Missam, benedicere populo trina benedictione praemittendo: *Sit nomen Domini*, etc. (DD. 3731 ad 5; 4195 ad 2).

77. — PRIVILEGIA AC IURA EPISCOPORUM RESIDENTIALIUM A CAPTA DIOECESIS POSSESSIONE:

1. Super ianuam Ecclesiae cathedralis et in ceteris consuetis locis suspendere proprium stemma, absque coronis, signis aliisque notis saecularibus quae nobilitatem propriae familiae vel gentis ostendant «*nisi forte dignitas aliqua saecularis ipsi episcopali aut archiepiscopali sedi sit adnexa; aut nisi agatur de Ordine equestri S. Ioannis Hierosolymitani aut Ss.mi Sepulchri*» (D. S. C. Consist., 15 Ian. 1915);
2. Nominari in precibus ferialibus ad Laudes et Vesperas et in Canone Missae ab omnibus Sacerdotibus celebrantibus, etiam religiosi, in proprio territorio;
3. In die anniversarii eorum electionis legi in Missa *Collecta*

eiusdem anniversarii ab omnibus Sacerdotibus, etiam religiosis celebrantibus in proprio territorio;

4. Elevare in omnibus Ecclesiis suae Dioecesis thronum cum baldachino (C. I. C. 349, § 2, 3^o);

5. Praecedere in suo territorio omnibus Archiepiscopis et Episcopis, exceptis Cardinalibus, Legatis Pontificiis et proprio Metropolitana (l. c. 347);

6. In tota Dioecesi, ne exceptis quidem locis exemptis, pontificalia exercere scilicet sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia idest baculum et mitram (l. c. 337, § 1 et 2);

7. Licentiam concedere extraneo Episcopo pontificalia exercendi in suo territorio, et permittere quoque usum throni cum baldachino Episcopo qui non sit eius Vicarius Generalis nec eius Auxiliaris aut Coadiutor aut Canonicus Dioecesis (D. 4023);

8. In celebratione Missae pontificalis in suo territorio septimum candelabrum super Altari apponi (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 12; D. 2274 ad 6);

9. Assistere vel cum cappa vel cum pluviali in throno ad Missam solemnem et ad Vesperas duobus Diaconis assistentibus (Caer. Episc. L. 1, cap. 8, n. 4; DD. 2976 ad 7; 3798 ad 1);

10. Candelas, Cineres, Palmas, Fontem benedicere et Missam sequentem non celebrare (Caer. Episc. L. 2, cap. 16, n. 16; cap. 18, n. 15; cap. 21, n. 10. — DD. 2976 ad 8; 3798 ad 2);

11. Absolutionem ad tumulum impertiri post Missam ab alio celebratam (DD. 3798 ad 2; 4355 ad II, 3);

12. Concedere Indulgentias quinquaginta dierum in suae iurisdictionis locis (C. I. C. 349, § 2, 2^o);

13. Benedictionem papalem cum Indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiri bis in anno scilicet in die solemni Paschatis Resurrectionis et alio die festo solemni ad libitum, etiamsi Missae solemni adstiterit tantum (l. c. 914).

Episcopus plures habens regendas dioeceses, in earum altera benedictionem papalem Paschati Resurrectionis adnexam, de qua in can. 914, iure proprio in aliam diem transferre nequit (Ex resp. Comm. ad Cod. Can. authentice interpretandos, die 17 Feb. 1930);

14. Sacerdoti sermonem habituro benedictionem impertiri secundum praescriptam formulam Caeremonialis Episcoporum (Caer. Episc. L. 1, cap. 22, n. 2);

15. Statuere praecedentias inter subditos, et componere in casibus urgentioribus omnes de praecedentia controversias etiam

inter exemptos, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant (C. I. C. 106, 6^o);

16. Omnes, Canonicis Ecclesiae Cathedralis exceptis nec non Praelatis, ante eos genuflectere debent (Caer. Episc. L. 1, cap. 18, n. 3);

17. Episcopus sepeliendus est in Ecclesia Cathedrali (C. I. C. 1205, § 2).

78. — OBLIGATIONES EPISCOPORUM RESIDENTIALIUM. - Episcopi residentiales tenentur:

1. Visitare Dioecesim singulis quinquenniis, et, saltem prima vice, iuxta ritum in Pontificali Romano praescriptum (Pont. Rom. «Ord. ad visit. Paroch.»; C. I. C. 343, § 1);

2. Eo anno quo relationem super statum Dioecesis Summo Pontifici exhibere debent, accedere ad Basilicam Vaticanam et Ostiensem ut Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra venerentur (C. I. C. 341, § 1);

3. Diebus solemnioribus, iuxta Caeremoniale Episcoporum et hodiernam praxim (v. n. 118), accedere ad Ecclesiam cathedralem pro Functionibus pontificalibus; et in eadem Ecclesia, vocatis praesentibusque Canonicis, publice celebrare Ordinationes generales (Caer. Episc. L. 2, cap. 1, n. 2, 3; C. I. C. 338, § 3; 1009, § 1);

4. Applicare Missam pro populo sibi commisso, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis aliisque festis diebus de praeepto etiam suppressis (v. n. 117) - (C. I. C. 339, § 1);

5. Celebrare decimo saltem quoque anno dioecesanam Synodum iuxta Caeremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum in Ecclesia cathedrali, nisi aliud rationabilis causa suadeat (Pont. Rom. «Ord. ad Syn.»; Caer. Episc. L. 1, cap. 31; C. I. C. 356, § 1);

6. Episcopus aegrotans, cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, sua sponte, antequam communicet indutus rocchetto et stola profiteatur catholicam fidem, secundum formulam ab Apostolica Sede approbatam (Caer. Episc. L. 2, cap. 38, n. 3);

7. «Defuncti Episcopi residentialis, etiamsi cardinalitia dignitate fulserit, sacra supellex cedit Ecclesiae Cathedrali, exceptis annulis et Crucibus pectoralibus etiam cum sacris Reliquiis, salvo praescripto can. 1288, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis quae legitime probetur ab Episcopo defuncto comparata fuisse bonis ad ipsam Ecclesiam non pertinentibus neque constet in Ecclesiae proprietatem transiisse.

«Si quando Episcopus duas vel plures dioeceses successive rexerit aut simul praefuerit duabus vel pluribus dioecesibus unitis aut in

perpetuam administrationem concessis, Cathedralis Ecclesiam habentibus propriam et distinctam, quae sacra utensilia constiterit redivitibus unius tantum dioecesis fuisse comparata, ea eiusdem Cathedrali Ecclesiae cedunt; secus dividi debent, aequis partibus, inter singulas Ecclesias Cathedrales, dummodo dioecesium redivitus ne sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituent; si vero redivitus divisi sint ac separati, divisio fiat inter singulas Ecclesias Cathedrales pro ratione fructuum quos in singulis dioecibus Episcopus perceperit ac temporis quo eisdem praefuerit.

«Episcopus obligatione tenetur inventarii sacrorum utensilium authentica forma conficiendi, in quo pro rei veritate quando acquisita sint, exprimat, distincteque describat si qua non ex Ecclesiae redivitibus ac proventibus, sed ex propriis bonis vel ex donatione sibi facta comparaverit; secus omnia redivitibus Ecclesiae comparata praesumuntur» (C. I. C. 1299).

Ut canonica praescripta etiam in foro civili debitum effectum sortiantur, Episcopus obligatione tenetur curandi testamento vel alio instrumento in forma iuris civilis valido (l. c., 1301, § 1).

ARTICULUS III.

De Metropolitanarum iuribus, privilegiis et obligationibus ad sacram Liturgiam spectantibus.

79. — IURA ET PRIVILEGIA:

1. Circa propriam dioecesim Metropolita eadem iura habet quae Episcopus in sua (v. n. 77 et 78), sed Indulgentias centum dierum concedere potest sicut et in ecclesiastica sua provincia (C. I. C. 274, 2°);

2. «Metropolita uti potest Pallio intra quamlibet Ecclesiam etiam exemptam suae provinciae in Missarum sollemnibus, diebus in Pontificali Romano designatis (v. n. 103) aliisque forte sibi concessis; nullatenus vero extra provinciam, etsi Ordinarii loci consensus accedat» (C. I. C. 277; D. 2730);

3. Metropolita quoque ius habet ut per totam provinciam, etiam in locis exemptis, ante se Crucem deferatur (Caer. Episc. L. 1, cap. 2, n. 1; cap. 4, n. 1; DD. 312; 1342 ad 1; 1550; 2153; C. I. C. 274, 6°);

4. In omnibus Ecclesiis suae ecclesiasticae provinciae, etiam exemptis, Ordinario loci praemonito, si Ecclesia sit cathedralis, peragere potest pontificalia uti Episcopus in proprio territorio (C. I. C. 274, 6°);

5. Metropolita in sua provincia praecedet omnibus Archiepiscopis et Episcopis, exceptis Cardinalibus et Legatis Pontificiis (l. c., 347).

80. — OBLIGATIONES:

1. «Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a consecratione vel, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica in Consistorio, per se vel per procuratorem a Romano Pontifice Pallium petendi, quod significat potestatem archiepiscopalem» (C. I. C. 275);

2. Celebrare vigesimo saltem quoque anno Concilium Provinciale, iuxta Caeremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum, in territorio Provinciae atque, auditis omnibus qui assistere debent cum suffragio deliberativo, eligere debet Ecclesiam metropolitanam nisi iustum adsit impedimentum (Caer. Episc. L. 1, cap. 31, n. 3; C. I. C. 283; 284, 1°);

3. Canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit (C. I. C. 274, 5°).

ARTICULUS IV.

De Episcoporum habitu.

81. — Episcopi habitus duplex est: *praelatitius* et alius qui *pianus* dicitur.

I. - DE HABITU PRAELATITIO. — Habitus praelatitius laneus esse debet et nullomodo sericus; uti potest rudiori vel leviori panno ex lana pro opportunitate (Caer. Episc. L. 1, c. 1, n. 1; c. 3, n. 1; D. 4355, I, 2). Episcopi vero Solio Assistentes vel Praelati Domestici sericis vestibus uti possunt quia, ex consuetudine, addicti Sacello vel Familia Pontificiae tum apud Romanam Curiam tum extra, aestivo tempore, adhibent pannum sericum non tamen undulatum (*moire*).

Color habitus praelatitii, laudabiliter extra Urbem (D. 4355, I, 3) conveniens esse debet diversitati temporum, scilicet violaceus vel niger (Caer. Episc. L. 1, c. 3, n. 2; D. 3301, ad 11), sed in hoc servari consuetudo potest (D. 3184 ad 1 et 2); Romae vero semper violaceus, excepta Sede vacante (D. 4355, I, 3). Episcopi Solio Assistentes vel Praelati Domestici, sicut reliqui de Familia vel de Sacello Pontificio, nunquam mutant colorem in habitu, sed, vivente Summo Pontifice, utuntur vestibus violaceis (CASTALD., titul. 1, sect. 10, c. 1, n. 11).

Habitus praelatitius constat veste cum cauda, quae ope globuli cum oculo firmatur in parte postica ad extremum dorsum, cui superimponitur zona serica, numquam undulata (*moire*), eiusdem vestis coloris cum duobus flocculis pariter sericis. Ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anteriores vestis partes exornans, eorum subsutum

et reflexus (*paramani*) in manicis, erunt serici et rubini coloris in veste violacea; pariter serici, sed violacei coloris in veste nigra.

Collare et caligae eiusdem coloris vestis. Reflexus (*paramani*) in manicis rochetti erunt serici et rubini coloris quando Episcopus veste violacea utitur; quando vero habitu praelatio nigri coloris se induit, pariter serici, sed violacei coloris erunt.

Super rochettum Episcopus induere debet vel mantelletum, vel mozzettam, vel mantelletum et mozzettam simul, vel cappam pro circumstantiis, ut infra notabimus.

Mantelletum et mozzetta, semper eiusdem coloris et panni vestis praelatio erunt.

Exiguus torulus, mantelleti collum eiusque anteriores extremitates exornans, ac eius subsutum erunt sericea et rubini coloris, si violacea; violacea, si nigra. Mozzetta ex toto subsuta erit; pariter serici erunt globuli, ocelli et exiguus torulus eius extremitates anteriores et collum exornans. In mozzetta violacea pannus sericus erit rubini coloris, in nigra autem violacei coloris.

Cappa semper violacea erit, etiamsi Episcopus habitu praelatio nigri coloris utatur, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo vero rubini coloris serico, ornata.

II. — DE HABITU PIANO. — Habitus qui dicitur *pianus* constat veste talari lanea nigra, non caudata, cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, rubini coloris, cui superimponitur zona sericea violacea, numquam undulata, cum laciniis pariter sericis et violaceis. Vesti, tempore aestivo, superimponitur per amplum pallium talare item sericum violaceum, non undulatum, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris; pallium vero hiemale constabit panno, eodem colore ac vestis, cum relativis ornamentis propriis respectivi coloris; ad collum ornabitur serico villosa, item respectivi coloris, scilicet ornamentorum, quod pro Archiepiscopis aurea tenia circumdabitur (D. S. C. Caer., 7 Ian. 1851). Collare et caligae erunt violacei coloris.

82. — EPISCOPI ASSUMPTI EX ORDINIBUS RELIGIOSIS in habitu praelatio retinent colorem habitus suae religionis, absque ullo ornamento violacei coloris; pro vestitu ordinario uti possunt vel habitu religioso et gestare crucem pectoralem, annulum ac pileolum, vel uti habitu ad instar *piani* coloris habitus suae religionis.

CETERI EPISCOPI E CLERO REGULARI eodem habitu utuntur quo Episcopi e Clero saeculari, sed Canonici Regulares et Clerici Regulares utuntur pallio violaceo ex lana absque ullo serico ornamento. Quando loco habitus *piani* utuntur habitu suae religionis, gestare possunt

crucem pectoralem, annulum, pileolum, biretum, sed non zonam violaceam.

83. — «..... *Motu proprio* in perpetuum statuimus, ut omnes Episcopi regulares iam nunc rochetto utantur, atque eodem prorsus modo induti incedant ac saeculares Episcopi, salvo nimirum usitato vestimentorum colore et qualitate» (ex *Mot. pr.* Benedicti Pp. XV, die XXV April. MCMXX).

84. — DE PILEOLO DEQUE BIRETO. — Ex concessione Pii IX P. M. (17 Iul. 1868) Episcopi deferre possunt pileolum violacei coloris, non e serico sed panno laneo; consuetudo autem contraria videtur satis diffusa.

Biretum ex concessione Summi Pontificis Leonis XIII (3 Febr. 1888) erit violacei coloris; solent uti serico aestivo tempore, in hieme vero laneo.

Pileolus et biretum etiam pro omnibus Episcopis regularibus erunt violacei coloris sed numquam ex serico (ex concess. Pii Pp. IX, 13 Iun. 1869 et Leonis Pp. XIII, 3 Febr. 1888).

85. — DE GALERO. — Galeris duplex est: pontificalis et usualis.

Forma galeri pontificalis, quo in equitatibus solemnibus olim Episcopi utebantur, est orbicularis, ex parte superiori panno nigro coopertus et panno serico viridi ex inferiori, cum cordulis et floccis sericis viridis coloris. Talis galeris fere obsolevit nam, hodierna die, perpauci Episcopi eo utuntur tantum in primo solemnium ingressu ad Dioecesim; ad pedes Episcopi defuncti ponitur et super illius sepulturam suspenditur.

Galeris usualis erit formae communis cum cordulis et flocculis viridis coloris quando Episcopus habitu piano utitur; quando vero, extra functiones liturgicas, habitu praelatio utitur galeris exornatur parva zona serica item viridis coloris cum flocculis ut supra. Solis Patriarchis tributus fuit a S. Congregatione Caeremonialis (3 nov. 1896) usus flocculi viridis auro intermixti.

Galeris usualis et pontificalis pro omnibus Episcopis assumptis e Clero regulari erit aequalis galeris Episcoporum e Clero saeculari (Caer. Episc., L. 1, cap. 3, n. 5).

86. — DE USU HABITUS PRAELATIO. — Episcopi habitu praelatio in functionibus liturgicis et aliis praestantioribus uti debent.

Iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. 1, c. 3, n. 1; D. 3301 ad 2) et praxim Almae Urbis pro S. R. Ecclesiae Cardinalibus circa vestes rubras vel violaceas utendas, Episcopi uti debent habitu praelatio

violacei coloris quando Cardinales induunt rubrum, nigri coloris quando Cardinales violaceum (v. n. 63).

87. — DE USU MOZZETTAE ET MANTELLETTI. — Episcopus in propria dioecesi utitur mozzetta super rocchettum (Caer. Episc. L. 1, cap. 1, n. 3) et quando sic indutus accedit ad Ecclesiam, ut Horis canonicis, Vesperis et Completorio aut Missae conventuali, diebus ferialibus assistat, sedere debet in primo stallo Chori, absque assistentia, nunquam in Sede pontificali (DD. 650; 906, 1401 ad 2).

Praesente vero S. R. E. Cardinali, Episcopus super rocchettum induere debet mantelletum; quo in casu mozzettam gestare potest super mantelletum: consuetudo se habet in Italia ut Episcopi, praesentibus Cardinalibus, deponant mozzettam. Si Cardinalis sit Legatus, Episcopus omnino ab usu mozzettae abstinebit (Caer. Episc., L. 1, cap. 4, n. 7; DD. 388; 4355, II, 1). Item praesente suo Metropolitano, extra Concilium Provinciale (*l. c.* L. 1, cap. 3, n. 1) mozzettae usus Episcopo non licet (DD. 392; 1256, 2).

Extra suam dioecesim Episcopus super rocchettum uti debet mantelletto tantum (Caer. Episc. Lib. 1, cap. 1, n. 1, 3; D. 1397 ad 1); mozzettam tamen super mantelletum induere potest ubi talis vigeat consuetudo, sed Romae mantelletum tantum super rocchetto gerere debet (D. 4360).

88. — DE USU CAPPAE. — Episcopus in propria dioecesi accedens ad Cathedrali, diebus solemnioribus ad effectum assistendi Functionibus ecclesiasticis cappam deferre debet (D. 2135 ad 5) et etiam praesente quolibet S. R. E. Cardinali vel suo Metropolitano ea uti potest, sed, reverentiae causa, eam explicare nequit, debet vero caudam involvere, et vel firmare aliqua tenia ad latum sinistrum, vel positam sustinere super sinistrum brachium in actibus immediatis cum Cardinali vel Metropolitano aut versus eos exhibendis: ex gr. tradendo aspersorio, si Cardinalis esset Legatus (Caer. Episc. L. 1, cap. 15, n. 4); incedendo una simul cum Cardinali vel cum Metropolitano, etc. (D. 4355, 11, 2).

Extra propriam dioecesim Episcopus rite utitur cappa quando Pontificalia solemnia ad solium legitime peragit; si tamen Episcopus sit Ordinarii Coadiutor, aut Auxiliaris, aut etiam Dignitas seu Canonicus in illius Ecclesia, cappa uti potest in iis adiunctis in quibus, licet iuxta leges liturgicas, de licentia Ordinarii ad mentem Decretorum S. R. C., scilicet tenetur deferre cappae caudam involutam sub brachio sinistro (DD. 2010 ad 1, 2, 3; 2011 ad 1; 4023; 4355, III, 2).

Romae Episcopi cappa utuntur quando Cappellae Papali interesse

debent, ad normam intimationis, et in casu tenentur caudam cappae ad latum sinistrum aliqua tenia firmare.

89. — DE USU HABITUS PIANI. — Episcopi tam in propria dioecesi quam extra, etiam Romae coram Summo Pontifice, in congregationibus, conventibus solemnibus, audientiis ecclesiasticis et civilibus, habitu *piano* uti possunt.

90. — DE CRUCE PECTORALI. — Episcopi omnes semper et ubique detectam gestare possunt crucem pectoralem auream, vel cum gemmis vel absque, pendentem a funiculo serico viridis coloris commixto cum auro et simili flocculo retro ornato. Usus recens invaluit funiculo substituendi auream catenulam, sed in habitu praelatio minus videtur convenire, non tam relate ad habitum ipsum, quam ad sacras vestes, quas pro aliqua Functione Episcopi assumere debent.

Semper et ubique etiam Episcopi uti valent annulo cum gemmis.

ARTICULUS V.

De mitra deque baculo pastoralis.

91. — DE MITRA. — Mitrae species est triplex: *pretiosa, auriphrygiata* et *simplex*.

I. - MITRA PRETIOSA potest esse ex panno aureo, argenteo et etiam serico albi coloris, non vero viridis vel rubri vel violacei (D. 3729 ad 1), contexto gemmis et lapidibus pretiosis vel laminis aureis aut argenteis.

II. - AURIPHRYGIATA, sine gemmis et sine laminis aureis vel argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita vel ex serico albo, auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis.

III. - SIMPLEX, sine auro ex simplici serico damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta, rubeis laciniis seu frangiis et vittis pendentibus (Caer. Episc. L. 1, cap. 17, n. 1). Tolerandus non est usus mitrae argenteae cum laciniis item argenteis, pro simplici mitra damascena vel linea cum rubeis laciniis (D. 4355 ad 1, 5).

92. — Episcopus utitur mitra pretiosa quando sibi induit paramenta albi, rubei, viridis et rosacei coloris; «Nihilominus... etiam auriphrygiata uti potest; sed ad commoditatem; ne scilicet Episcopus nimis gravetur, si in toto officio pretiosa utatur» (Caer. Episc. *l. c.*, n. 2).

Utitur mitra auriphrygiata quando sibi induit paramenta violacei coloris, excepta Missa Dominicae Tertiae Adventus et Quartae

Quadragesimae si, ex defectu coloris rosacei, utitur paramentis violacei coloris.

« Poterit tamen Episcopus, dum utitur auriphrygiata, uti etiam simplici eodem modo et forma prout de pretiosa et auriphrygiata dictum est » (l. c. n. 3).

Mitra simplici utitur Episcopus Feria sexta in Parasceve et in Officiis et Missis Defunctorum.

93. — Si Canonicus Episcopus in Choro Officiis pontificalibus assistat cum mitra, ea debet esse ex tela linea (D. 2283 ad 5) vel ex serico damasceno, si huiusmodi materiae Canonici gaudent privilegio mitrae, et ipsam imponere et deponere per seipsum debet (l. c. ad 6).

94. — Episcopus, dum lavat manus infra Missam privatam et dum populo trinam benedictionem impertit, mitram gestare nequit (D. 4035 ad 3).

95. — DE BACULO PASTORALI. — Baculus pastoralis solet esse argenteus vel ligneus vel ex metallo, circumtectus lamina argentea vel aurea; habet partem summam reflexam, mediam rectam, imam acutam.

Episcopus sinistra manu baculum defert cum parte reflexa semper ad populum versa, tam in suo territorio quam extra (D. 4355 ad III, 3).

96. — In tota dioecesi, ne exceptis quidem locis exemptis, Episcopus uti potest baculo pastoralis; non vero extra dioecesim sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci, nisi agatur de sacris functionibus, quae ex legibus liturgicis requirant usum baculi, et in casu etiam Episcopus Coadiutor aut Auxiliaris aut Vicarius Generalis aut Dignitas seu Canonicus, characteris episcopali auctus, in omnibus Ecclesiis, non excepta cathedrali, uti potest baculo pastoralis. Episcopus gestare nequit stolam et mitram et baculum pastorem cum habitu praelatitio (D. 4355 ad I, 4).

97. — Quando plures Episcopi conveniunt ad Festum aliquod solemnius agendum, possunt se indui pluviali absque stola, mitra uti, non vero gestare baculum pastorem. In processionibus bini incedunt absque assistentia quia « honor formalis assistentiae debetur soli Celebranti vel Praesidenti » (D. cit. ad IV, 2, 3; « Eph. Lit. », an. 1920, pag. 296).

ARTICULUS VI.

De sacro Pallio.

98. — « Metropolitana obligatione tenetur, intra tres menses a consecratione vel, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica in Consistorio, per se vel per procuratorem a Romano Pontifice Pallium petendi, quod significat potestatem archiepiscopalem » (C. I. C. 275).

Petitio Pallii fit enixis precibus *instanter, instantius, instantissime.*

99. — Ante Pallii impositionem, excluso speciali indulto apostolico, Metropolitana illicite, quamvis valide, poneret actus sive iurisdictionis metropolitanae, sive ordinis episcopalis in quibus, ad normam legum liturgicarum, usus Pallii requiritur (C. I. C. 276); hinc nequit « Episcopos consecrare, nec convocare Concilium, nec Chrisma conficere, neque Ecclesias dedicare, nec Clericos ordinare, etiam si Pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat petere novum Pallium » (Pont. Rom. « De Pallio »).

Si Metropolitana Pallium amittat vel ad aliam sedem archiepiscopalem transferatur, novo indiget Pallio (C. I. C. 278).

100. — Si Metropolitana renuntiaverit Dioecesi, licet Pallio uti non possit, illud tamen nequit alteri Episcopo commodare, aut alicui donare, nec in morte alicui relinquere, sed apud se retinere ut cum eo sub capite sepeliatur. Similiter qui plura Pallia successive consecutus est, illa apud se retinere et cum omnibus sepeliri debet. Si sit in provincia sua, ultimum circa humeros habebit, et reliqua sub capite; si vero extra provinciam sepeliatur, omnia sub defuncti capite reponuntur (Caer. Episc. L. 1, cap. 16, n. 7; C. I. C. 279).

101. — « Curent igitur Archiepiscopi, ut Pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio, et auctoritas, digne et honorifice asservetur, puta serico involutum, ac in capsula intus et extra pulchre ornata, vel serico obducta inclusum, tamquam venerabile ipsius Archiepiscopi insigne, mysticis significationibus plenum » (Caer. Episc., l. c.).

102. — Ex privilegio Summi Pontificis quidam Episcopi Pallio decorantur; privilegium hoc non eximit Episcopos a Metropolitae iurisdictione, nec Eis praecedentiae ius confert (Benedictus XIV, De Synodo dioec., L. XIII, c. 15, n. 8, 10).

103. — TABULA DIERUM IN QUIBUS METROPOLITA UTI POTEST PALLIO, IUXTA CAEREMONIALE EPISCOPORUM (L. 1, c. 16, n. 4) ET PONTIFICALE ROMANUM (De Pallio), IN MISSA PONTIFICALI TANTUM, INTRA QUAMLIBET ECCLESIAM ETIAM EXEMPTAM SVAE PROVINCIAE, SED ABSENTE ROMANO PONTIFICE ET LEGATO A LATERE.

Mensis	Dies	Titulus Festorum	Mensis	Dies	Titulus Festorum
Ianuarii	1	Circumcisio Domini.	Decembris	27	S. Ioannis Ap. et Ev. Dominica Palmarum.
»	6	Epiphania Domini.	—	—	Feria V in Coena Domini.
»	18	Cathedra S. Petri Ap. Romae.	—	—	Sabbato Sancto.
Februarii	2	Purificatio B. M. V.	—	—	Dominica Resurrect.
»	23	Cathedra S. Petri Ap. Antioch.	—	—	Fer. II inf. Oct. Paschae.
»	24	S. Matthiae Ap.	—	—	Fer. III inf. Oct. Paschae.
»	25	Annuntiatio B. M. V.	—	—	Dominica in Albis.
Martii	19	S. Ioseph Sp. B. M. V.	—	—	In Ascensione Domini.
Maii	1	Ss. Philippi et Iacobi Ap.	—	—	Dominica Pentecostes.
»	6	S. Ioannis ante Portam Latinam.	—	—	Festum Corporis Chr.
Iunii	11	S. Barnabae Ap.	—	—	Dedicationes Ecclesiarum.
»	24	Nativitas S. Ioannis Bap.	—	—	Principales Festivitates Eccl. suae.
»	29	Ss. Petri et Pauli App.	—	—	Ordinationes Clericorum.
»	30	Comm. S. Pauli Ap.	—	—	Consecrationes Episcoporum.
Iulii	25	S. Iacobi Ap.	—	—	Benedictiones Abbatum.
Augusti	1	S. Petri ad Vincula.	—	—	Benedictiones et Consecrationes Virginitum.
»	15	Assumptio B. M. V.	—	—	Ann. consec. Eccles. princ.
»	24	S. Bartholomaei Ap.	—	—	Ann. consec. suae.
Septembris	8	Nativitas B. M. V.	—	—	Prima die Syn. Prov. in Missa de Spir. Sancto (*).
»	21	S. Matthaei Ap.	—	—	
Octobris	28	Ss. Simonis et Iudae App.	—	—	
Novembris	1	Omnium Sanctorum.	—	—	
»	30	S. Andreae Ap.	—	—	
Decembris	8	Immaculata Concept. B. M. V.	—	—	
»	21	S. Thomae Ap.	—	—	
»	25	Nativitas D. N. I. C.	—	—	
»	26	S. Stephani Protomartyris.	—	—	

(*) (Caer. Episc., L. I, cap. 31, n. 13), non autem prima die Synodi Dioecesanæ (Bened. XIV, De Syn., lib. 3, c. 11, n. 3).

ARTICULUS VII.

De Throni cessione.

104. — « Episcopus, licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum throni cum baldachino » (C. I. C. 337, § 3).

Sacrae R. C. «... quaesitum est: Utrum liceat Episcopo Dioecetano Thronum suum alteri Episcopo cedere ».

Hinc S. R. C. quaestionem super hac Throni cessione sibi pluries delata, studiose pertractare opportunum duxit. Quare ab E.mo ac R.mo Domino Cardinali Andrea Steinhuber Relatore, in ordinariis comitiis, subsignata die, ad Vaticanum habitis, propositum fuit dubium:

« An Episcopus Dioecetanus gaudeat iure cedendi Thronum suum alteri Episcopo cum Reverendissimorum Canonicorum adsistentia sibi debita? ».

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate discussis atque perpensis, rescribendum censuit:

« Affirmative; dummodo Episcopus invitatus non sit ipsius Dioecetani Coadiutor, aut Auxiliaris, aut Vicarius Generalis, aut etiam Dignitas seu Canonicus in illius Ecclesiis. Sicut autem Cardinales Episcopi Suburbicarii alique Titulares Ecclesiarum Urbis Purpuratis tantum Patribus Thronum cedere possunt; ita Praesules Cardinales aliarum Dioecesium decet ut suum Thronum non nisi aliis eadem Cardinalitia dignitate ornatis cedant ». Die 9 Maii 1899.

Facta postmodum de his Ss. D. N. Leoni Papae XIII per E.mum et R.mum D.num Cardinalem S. R. Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 12 Iunii eodem anno » (D. 4023).

« S. R. C. enixe rogata est ut opportune insequentia dubia, de quibusdam Episcoporum privilegiis, insignibus ac functionibus, enodare dignaretur; nimirum:

V. De Episcopo Ordinario et de Vicario Generali, qui est Episcopus titularis Auxiliaris

1.
2.
3. Attento canone 337, § 3, C. I. C., manetne in suo robore Decretum S. R. C., n. 4023 diei 12 Iunii 1899 super iure Episcoporum Dioecetanorum cedendi Thronum alteri Episcopo? ».

S. R. C. die 26 Novembris 1919 rescribendum censuit: Affirmative (D. 4355).

Ex comparatione verborum canonis allati « *in suo territorio, potest quoque permittere usum Throni cum baldachino* » cum aliis Decreti « *gaudet iure cedendi Thronum suum* » concludendum est:

1. Episcopus Ordinarius permittere potest usum Throni cum baldachino in suo territorio, non vero in Ecclesia cathedrali, cuique Episcopo, nulla exceptione facta.

2. Episcopus Ordinarius gaudet iure cedendi Thronum etiam in Ecclesia cathedrali alteri Episcopo qui non sit ipsius Coadiutor aut Auxiliaris aut Vicarius Generalis aut etiam Dignitas seu Canonicus in illius Ecclesiis; decet vero ut Praesul dignitate cardinalitia decoratus suum Thronum cedat tantum aliis eadem dignitate ornatis. Ratio est quia verba Decreti respiciunt Ecclesiae cathedralis Thronum qui in dioecesi est unicus fixe erectus et tunc habetur vera cessio rei existentis; verba Canonis ad Thronum non permanentemente erectum spectant et tunc habetur permissio erigendi Thronum ubi non adest.

Praeterea Decretum loquitur de adsistentia Canonorum, sed Canonici tenentur assistere Episcopo in Ecclesia cathedrali et in aliis Ecclesiis civitatis aut suburbii tantum, non vero in omnibus dioecesis Ecclesiis.

CAPUT VI.

DE ADMINISTRATORIBUS APOSTOLICIS

105. — ADMINISTRATOR APOSTOLICUS est Praelatus cui a Romano Pontifice commissum fuit, vel in perpetuum vel ad tempus, dioecesis canonicae erectae regimen, sive plena sive vacante sede (C. I. C. 312).

106. — ADMINISTRATORES APOSTOLICI PERMANENTER CONSTITUTI fruuntur iisdem iuribus ac privilegiis ad sacram Liturgiam spectantibus, iisdemque obligationibus tenentur ac Episcopi residentiales (C. I. C. 315, § 1) - (v. n. 77 et 78).

107. — ADMINISTRATORES APOSTOLICI AD TEMPUS CONSTITUTI et caractere episcopali aucti, nullis liturgicis iuribus gaudent praeter ea quae Episcopi titulares habent (v. n. 76); si autem episcopali caractere careant habent tantum, durante munere et in proprio territorio, iura et privilegia liturgica Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium (C. I. C. 315, § 2, 2^o) - (v. n. 139).

Non tenentur obligatione applicandae Missae pro populo (C. I. C. 315, § 2, 1^o).

Episcopo qui, ad aliam sedem translatus, prioris retinet administrationem, in hac quoque omnia Episcoporum residentialium liturgica iura competunt (C. I. C. 315, § 2, 2^o).

CAPUT VII.

DE VICARIIS ET PRAEFECTIS APOSTOLICIS

108. — VICARII APOSTOLICI ii sunt qui nomine Romani Pontificis regunt territoria missionum in quibus organizatio ecclesiastica adest, sed nondum in dioeceses erecta sunt (C. I. C. 293, § 1).

109. — PRAEFECTI APOSTOLICI ii qui, nomine Romani Pontificis, regunt territoria missionum in quibus organizatio ecclesiastica est tantum inchoata et adhuc imperfecta (*l. c.*).

Generatim Vicarii Apostolici solent esse Episcopi; Praefecti vero Apostolici, plerumque caractere episcopali carent.

110. — IURA ET PRIVILEGIA LITURGICA VICARIORUM ET PRAEFECTORUM APOSTOLICORUM:

I. - SI CHARACTERE EPISCOPALI INSIGNITI:

1. Omnia iura et privilegia eis competunt quae ius concedit Episcopis Titularibus (C. I. C. 308) - (v. n. 76);

2. Episcopo Dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem (C. I. C. 957, § 1).

II. - SI CHARACTERE EPISCOPALI CAREANT:

1. Habent insignia et privilegia Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium (v. n. 139), durante munere et in proprio territorio (C. I. C. 308);

2. Impertiri possunt omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta (*l. c.*, 294, § 2);

3. Consecrare calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis (*l. c.*);

4. Confirmationem administrare valide intra fines sui territorii et durante munere tantum ad normam can. 782, § 3;

5. Conferre primam tonsuram et ordines minores in proprio territorio, et durante munere tum propriis subditis saecularibus ad normam can. 956 tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant: ordinatio extra hos fines ab eis peracta irrita est (*l. c.* 294, § 2; 957, § 2).

III. — OMNIBUS COMMUNIA:

1. Concedere Indulgentias quinquaginta dierum in suo territorio (C. I. C. 294, § 2);

2. Impertiri in suis territoriis benedictionem papalem cum Indulgentia plenaria uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus (C. I. C. 914).

111. — OBLIGATIONES VICARIORUM APOSTOLICORUM AD SACRAM LITURGIAM SPECTANTES eadem sunt ac Episcopi residentialis, congruis congrua referendo, sed:

I. — Applicare Missam pro populo saltem diebus praescriptis a can. 306 (v. n. 117).

II. — Pro celebratione Synodi Vicariatus tempus non est praefinitum (C. I. C. 304, § 2).

III. — Si quid graviter obstet obligationi visitandi per se Sacra Limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli satisfacere possunt per procuratorem etiam in Urbe degentem (C. I. C. 299).

112. — OBLIGATIONES PRAEFECTORUM APOSTOLICORUM AD SACRAM LITURGIAM SPECTANTES:

I. — Applicare Missam pro populo saltem diebus praescriptis a can. 306 (v. n. 117).

II. — Diebus sollemnioribus (v. n. 118) accedere ad Ecclesiam digniorem loci residentiae pro celebratione Divinorum Officiorum.

III. — Visitare territorium quaecumque sit opus (C. I. C. 301, § 2).

CAPUT VIII.

DE ABBATIBUS ET PRAELATIS « NULLIUS »

113. — « Praelati qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati *nullius*, nempe dioecesis, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet » (C. I. C. 319, § 1).

114. — Promoti ad regimen Abbatiae vel Praelaturae *nullius* obligatione tenentur emittendi professionem fidei coram delegato ab Apostolica Sede designato (C. I. C. 1406, § 1).

Qui vero ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, tenentur intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem accipere ab Episcopo quem maluerint, eiusdem ritus (C. I. C. 322, § 2).

Qui contra hoc praescriptum benedictionem non acceperint, suspensi a iurisdictione ipso facto sunt (*l. c.*, 2402).

Promoti ad regimen Abbatiae vel Praelaturae *nullius* tenentur ad suam Abbatiam vel Praelaturam pergere, nisi legitimo impedimento prohibeantur, intra quatuor menses a receptis litteris apostolicis.

115. — PRIVILEGIA AC IURA AD SACRAM LITURGIAM SPECTANTIA:

I. — SI CHARACTERE EPISCOPALI AUCTI:

1. Omnia iura et privilegia Episcoporum Titularium (v. n. 76);

2. In proprio territorio uti throno cum baldachino, qui erigendus est tantum occasione Functionum sollemnium pontificalium.

II. — SI CHARACTERE EPISCOPALI NON SINT ORNATI:

1. Uti habitu praelatitio et eo qui *piano* dicitur (v. n. 81 et seqq.): pro Regularibus usitato vestimentorum colore et qualitate;

2. Deferre Crucem pectoralem, anulum cum gemma ac pileolum violaceum etiam extra territorium (C. I. C. 325);

3. Uti in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno ac baldachino (*l. c.*) qui duos tantum gradus habere potest absque suppedaneo et erigendus tantum pro Functionibus sollemnibus pontificalibus;

4. In proprio territorio Officia divina ritu pontificali celebrare (*l. c.*); in Missa privata crucem pectoralem super albam adhibere, manipulum accipere ad Altare cum in Confessione dicunt: *Indulgentiam* etc., nisi in Missis Defunctorum; in fine Missae, non vero in Missa de Requiem, ter populo benedicere (Miss. R., *Rit. serv. in celebr. Miss.*, Tit. I, n. 4; Tit. XII, n. 7 et 8);

5. Impertiri intra fines sui territorii omnes benedictiones Episcopo reservatas, una pontificali excepta (C. I. C. 323, § 2);

6. Consecrare pariter in proprio territorio Calices, Patenas, Altaria portatilia ac fixa et Ecclesias cum sacris Oleis ab Episcopo benedictis (*l. c.*);

7. Confirmationem administrare valide intra fines sui territorii et durante munere tantum ad normam can. 782, § 3 (*l. c.*);

8. Conferre primam tonsuram et ordines minores in proprio territorio et durante munere tum propriis subditis ad normam can. 956 tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant: ordinatio extra hos fines ab eis peracta irrita est (*l. c.* et 957, § 2).

III. - OMNIBUS COMMUNIA:

1. Concedere Indulgentias quinquaginta dierum in suo territorio (*l. c.*, 323, § 2);

2. Impertiri in suo territorio benedictionem papalem cum Indulgentia plenaria uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus (*l. c.*, 914).

116. — OBLIGATIONES ABBATUM ET PRAELATORUM « NULLIUS » AD SACRAM LITURGIAM SPECTANTES eadem sunt ac Episcopi residentialis (v. n. 78).

117. — TABULA DIERUM IN QUIBUS, IUXTA PRAESCRIPTA CANONUM (C. I. C. 306; 315, § 1; 323, § 1; 339, § 1; 440) ET DECRETUM S. C. CONCILII (28 Decemb. 1919), INEST ONUS LITANDI SACRUM PRO POPULO.

Mensis	Dies	Titulus Festorum	Mensis	Dies	Titulus Festorum
—	—	Omnes Dominicae.	Iunii	24	Nativitas S. Ioannis Bapt.
—	—	Feria II post Dom. Resur.	»	29	Ss. Petri et Pauli App. (*).
—	—	Feria III post Dom. Resur.	Iulii	25	S. Iacobi Ap.
—	—	Ascensio Domini (*).	»	26	S. Annae Matris B. M. V.
—	—	Feria II post Dom. Pent.	Augusti	10	S. Laurentii M.
—	—	Feria III post Dom. Pent.	»	15	Assumptio B. M. V. (*).
—	—	SS. mi Corporis Christi (*).	»	24	S. Bartholomaei Ap.
—	—	Patroni Regni.	Septembris	8	Nativitas B. M. V.
—	—	Patroni Loci.	»	21	S. Matthaei Ap. et Ev.
—	—	Dies Festi suppressi olim ex iure particulari de praeepto.	»	29	Dedicatio S. Michaelis Arc.
—	—	Circumcisio Domini (*).	Octobris	28	Ss. Simonis et Iudae App.
Ianuarii	1	Epiphania Domini (*).	Novembris	1	Omnium Sanct. (*).
»	6	Purificatio B. M. V.	»	30	S. Andreae Ap.
Februarii	2	S. Matthiae Ap.	Decembris	8	Conceptio Imm. B. M. V. (*).
»	24	S. Ioseph Sp. B. M. V. (*).	»	21	S. Thomae Ap.
Martii	19	Annuntiatio B. M. V.	»	25	Nativitas D. N. I. C. (*).
»	25	Ss. Philippi et Iacobi App.	»	26	S. Stephani Protom.
Maii	1	Inventio S. Crucis.	»	27	S. Ioannis Ap. et Ev.
»	3		»	28	Ss. Innocentium Mm.
			»	31	S. Silvestri I Pp. et C.

Qui applicandae Missae pro populo obligatione tenentur:

I. - « In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praeepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam pro populo applicent » (C. I. C. 339, § 2).

II. - « Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat Officium cum Missa festi translati, sed servantur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem*; secus in die *a quo* » (*l. c.*, § 3).

III. - « Episcopus Missam pro populo diebus supra indicatis per se ipse applicare debet; si ab eius celebratione legitime impediatur, stans diebus applicet per alium; si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse, vel per alium applicet alia die » (*l. c.*, § 4).

IV. - « Licet Episcopus duas vel plures dioeceses aequae principaliter unitas regat, aut, praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi tamen satisfacit per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso » (*l. c.*, § 5).

V. - « Episcopus, qui obligationi de qua in superioribus paragraphis, non satisfecerit, quam citius pro populo tot applicet Missas, quot omisit » (*l. c.*, § 6).

Quod dicitur de Episcopo intelligi debet etiam de aliis qui applicare Missam pro populo tenentur.

VI. - Vicarii et Praefecti Apostolici tenentur Missam pro populo applicare diebus (*) signatis et in sollemnitatibus Paschatis et Pentecostes (C. I. C. 306).

VII. - Episcopi titulares non tenentur Missam pro populo applicare sed *decet* ex caritate ut aliquando pro sua dioecesi applicent (C. I. C. 348, § 2) iuxta litteras apostolicas Leonis Pp. XIII f. r. « *In suprema* » (10 Iun. 1882).

118. — TABULA DIERUM QUIBUS DECET EPISCOPUM NON LEGITIME IMPEDITUM ACCEDERE AD ECCLESIAM CATHEDRALEM PRO FUNCTIONIBUS IUXTA CAEREMONIALE EPISCOPORUM ET DECRETA S. R. C. nn. 3595; 3865 ad III.

	C. = celebrat. A. c. p. = assistit cum pluviali A. c. c. = » » cappa		I Vesp.	Missa	II Vesp.	Aliae Functiones
In Nativitate D. N. I. C.	C.	I. A. c. p. III. C.			C.	Ad Matutinum A. c. c.
In Festo S. Stephani.	—	A. c. p.			—	
In Festo S. Ioannis Ap. et Ev.	—	A. c. p.			—	
In Circumcisione Domini.	—	A. c. p.			—	
In Epiphania Domini.	C.	C.			—	
In Purificatione B. M. V.	—	A. c. p.			—	Benedicit candelas. - Processio.
In Feria IV Cinerum.	—	A. c. p.			—	Benedicit cineres.
In Festo S. Ioseph Sp. B. M. V.	—	A. c. p.			—	
In Annuntiatione B. M. V.	—	A. c. p.			—	
In Dominica in Palmis.	—	A. c. p.			—	Benedicit palmas. - Processio.
In Feria V in Coena Domini.	—	C.			—	Ad Matut. A. c. c. - Mandat.
In Feria VI in Parasceve.	—	C.			—	» »
In Sabbato Sancto.	—	C.			—	» »
In Dominica Resurrectionis.	—	C.			C.	
In Feria II Paschae.	—	A. c. p.			—	
In Feria III Paschae.	—	A. c. p.			—	
In Litanis maioribus.	—	A. c. p.			—	Ad Processionem A. c. p.
In Litanis minoribus.	—	A. c. c.			—	» » A. c. c.
In Ascensione Domini.	C.	C.			—	
In Dominica Pentecostes.	C.	C.			—	
In Dominica SS. Trinitatis.	—	A. c. p.			—	
In Festo Corporis Christi.	—	C. M. lect.			—	Processio et benedictio cum SS. Sacr.
In Festo Ss. Petri et Pauli Apostolorum.	C.	C.			—	
In Assumptione B. M. V.	C.	C.			—	
In Nativitate B. M. V.	—	A. c. p.			—	
In Festo Omnium Sanctorum	C.	C.			—	
In Comm. Omn. Fidelium Defunctorum.	—	A. c. p.			—	Impertit absolutionem ad Tumulum.
In Conceptione Imm. B. M. V.	C.	C.			—	
In Oratione XL Horarum.	—	—			—	A. c. p. ad Process. repos. et impert. bened.
In Ann. Cons. Eccl. Cathed.	C.	C.			—	
In Festis Patr. loci et Tit. Eccl. Cathed.	C.	C.			C.	
In aliq. princ. Fest. Eccl. Cathed.	—	A. c. p.			—	
In anniv. elect. et consecr. sui	—	A. c. p.			—	
In anniv. deposit. Praedecessoris sui.	—	A. c. c.			—	Impertit absol. ad Tumul.
In anniv. Omn. Episc. et Canon. Eccl. Cath.	—	A. c. c.			—	» » »

119. — Accidit persaepe temporibus nostris ut a Rectoribus Ecclesiarum non solum insignium urbium, sed etiam oppidulorum et vicorum ad sacra peragenda Episcopi, Archiepiscopi, immo S. R. E. Cardinales invitentur ubi nulla aequae suppetat ratio verae solemnitatis, aut, licet ob singularem et non communem alicuius Festi solemnitatem, ubi non antea fuerit cauto diligenter, ne forte peragendis iis ritibus, vel angustia loci obsistat vel inservientium conditio vel impar numerus.

Ut sacrorum Antistitum sarta tectaue servetur dignitas, Ecclesiarum Rectores attento animo perlegant S. C. Caeremonialis Decretum (v. n. 68), quod, quamvis pro Rectoribus Ecclesiarum Urbis datum, nihilominus omnibus Orbis Ecclesiarum Rectoribus magnae utilitati erit.

CAPUT IX.

DE VICARIIS GENERALIBUS

120. — Vicarius Generalis est clericus, in sacro presbyteratus ordine constitutus, ab Episcopo libere designatus ad eum adiuvandam potestate ordinaria in exercitio iurisdictionis (C. I. C. 366, § 1 et 2).

121. — Si Vicarius Generalis sit Episcopus, omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet (v. n. 76), secus, durante munere, habet tantum privilegia et insignia Protonotarii Apostolici titularis (l. c., 370, § 2) - (v. n. 142).

122. — Quum Vicarius Generalis, sive sit Canonicus sive non, gerat personam Episcopi, et iurisdictione gaudeat in universa dioecesi (C. I. C. 368, § 1), ius praecedentiae habet, etiam praesente Episcopo, tam publice quam privatim, sive habitu canonicali sive vicariali indutus, super omnibus Dioecesis Clericis, non exclusis Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, etiam in Choro et in actibus capitularibus, nisi Clericus caractere episcopali praefulgeat et ipse eodem careat (C. I. C. 370, § 1), nam ius praecedentiae unice repetendum est ex munere quo ipse fungitur, ex auctoritate qua pollet, non autem ex alio capite, v. g. ex canonicatu aut dignitate capitulari (DD. 105 ad 3; 589 ad 2; 761; 1077 ad 1; 2331 ad 5; 2937; S. C. C. « Cuneen. et Utinen. - Praeced. » 17 Maii 1919; « Lucerina. - Praeced. » 15 Dec. 1923).

123. — Quamvis Vicarius Generalis iure praecedentiae gaudeat et in Choro et in actibus capitularibus, tamen ius non habet ad ea munera exercenda quae, iuxta Caeremoniale Episcoporum, S. R. C. Decreta et C. I. C. can. 397 (v. n. 133, II, 2), ad primam Dignitatem

et Canonicos secundum ordinem praecedentiae pertinent (S. C. C. 10 Maii 1931 ad I). Nec vi praecedentiae Vicarius Generalis si Canonicus eximitur a munere ministrandi Episcopo in Missis aliisque Functionibus pontificalibus (*l. c.*, ad II), sed si in Functione pro Synodo dioecesana celebranda, Vicarius Generalis assistere Episcopo debeat, ut Diaconus Assistens vel Minister in Missa, conveniens est ut in Functione hac a suo munere eximatur.

124. — « Si plures sint Vicarii Generales iisdem iuribus gaudent omnes. Idemque dicendum videtur si duo sint quorum alter Provicarius appellatur, cui tamen de facto Vicarii Generalis potestas commissa est » (P. Matthaeus a Coronata, *Institutiones I. C.*, vol. I, n. 423, 2).

CAPUT X.

DE VICARIIS CAPITULARIBUS

125. — Vicarius Capitularis est Clericus, caractere sacerdotali insignitus, qui dioecesim vacantem regit loco Capituli Cathedralis, a quo designatus fuit, nisi adfuerit Administrator Apostolicus vel aliter ab Apostolica Sede provisum fuerit (C. I. C. 431, § 1; 432, § 1).

126. — Vicarius Capitularis est vere et proprie Ordinarius loci et ad applicationem Missae pro populo tenetur (*l. c.*, 198, § 1; 440; v. n. 117), ei tamen non competit vi muneris ius et officium peragendi Functiones sacras in sollemnioribus festivitatibus de quibus in canone 397, 1^o (S. C. Conc. 10 Maii 1931 ad 3).

127. — Quoad praecedentiam et privilegia ad sacram Liturgiam spectantia servetur quod dictum est de Vicario Generali (C. I. C. 439; v. n. 122); potest etiam Vicarius Capitularis pontificalium exercitium in dioecesi cuilibet Episcopo permittere et si ipse Episcopus sit eadem exercere, excluso usu Throni cum baldachino quem neque aliis concedere potest (C. I. C. 435, § 2).

CAPUT XI.

DE CAPITULIS DEQUE CANONICIS

ARTICULUS I.

De Capitulis generatim.

128. — Capitulum est Clericorum collegium ideo institutum ab Apostolica Sede ut sollemniorem cultum Deo in determinata ecclesia exhibeat (C. I. C. 391, § 1; 392).

129. — Capitula dividuntur in *cathedralia* et *collegiata*.

CAPITULUM CATHEDRALE est Clericorum collegium in Ecclesia cathedrali ideo institutum ut sollemniorem cultum Deo in eadem Ecclesia exhibeat et ut Episcopum, ad normam sacrorum canonum, tanquam eiusdem senatus et consilium adjuvet, ac, sede vacante, eius vices suppleat in dioecesis regimine (*l. c.*, 391, § 1).

Si Ordinarius sit Patriarcha vel Primas vel Metropolita, Capitulum cathedrale appellatur PATRIARCHALE vel PRIMATIALE vel METROPOLITANUM.

CAPITULUM COLLEGIALE est Clericorum collegium extra Ecclesiam cathedralem erectum praesertim ad sollemniorem cultum Deo in eadem Ecclesia exhibendum (*l. c.*). « Capitulum collegiale appellatur insigne aut perinsigne, si hoc titulo ex apostolico privilegio vel ab immemorabili gaudeat » (*l. c.*, § 2).

130. — Iure communi Capitulum constat tantum Dignitatibus et Canonicis inter quos omnia officia distribuuntur (C. I. C. 393, § 2); iure autem particulari seu, ex constitutionibus particularibus, Dignitates adesse possunt non de Capitulo.

Numerus et nomen Dignitatum variant iuxta diversas Ecclesias, sed in omnibus Capitulis aliqua Dignitas adesse debet.

« In nulla Ecclesia cathedrali desit officium Canonici theologi et, ubi fieri poterit, Canonici poenitentarii.

« Etiam in collegialibus, praesertim insignibus, officium Canonici theologi et poenitentarii constitui potest » (C. I. C. 398).

ARTICULUS II.

De Capitulorum iuribus, privilegiis ac obligationibus ad sacram Liturgiam spectantibus.

131. — DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS.

I. — Capitula cathedralia ius habent:

1. praecedentiae (v. n. 152, XIII);
2. Episcopum supplendi in sacris Functionibus peragendis in quibusdam sollemnitatibus de quo infra, ubi de Dignitatum iuribus, sub n. 133, 3, a (C. I. C. 397, 1^o);
3. Episcopo decumbenti S. Viaticum et Extremam Unctionem ministrandi, defuncto vero iusta funebria persolvendi, de quibus ut supra d) (*l. c.*, 3^o);
4. interveniendi per duos Capitulares ad Concilium provinciale, et ad dioecesanam Synodum per omnes Capitulares (C. I. C. 286, § 3; 358, § 1, 2^o).

II. - Capitula collegialia ius habent:

1. praecedentiae (v. n. 152, XIV);
2. per unum Capitularem ad dioecesanam Synodum interveniendi (C. I. C. 358, § 1, 5°).

132. — DE OBLIGATIONIBUS.

Quodlibet Capitulum obligatione tenetur:

1. Quotidie divina Officia in Choro rite persolvendi, salvis foundationis legibus (C. I. C. 413, § 1);
2. Stabilire normas servitii choralis, Altaris, et assistentiae Episcopo sollemniter celebranti aut pontificalia exercenti non solum in Ecclesia capitulari, sed etiam, si ab eodem Canonici invitati sint, in omnibus Ecclesiis civitatis et suburbii (C. I. C. 412, § 1; 416).

In his Ecclesiis non omnes Canonici assistere tenentur, sed qui necessarii sunt, scilicet quinque quando Episcopus Missam pontificalem celebrat, tres quando assistit pluviali indutus vel cum cappa, similiter tres quando Vesperas pontificaliter celebrat; sed curandum semper est ne Ecclesia capitularis debito cultu et servitio defraudetur. Si parvus vero numerus Canonorum sit, aliqui tantum ex eis Episcopum comitentur et cum aliis Sacerdotibus non Canonice ei ministrare tenentur (C. I. C. 412, § 1; DD. 14 ad 2; 226 ad 3; 958; 976; 1077 ad 2; 1312; 1318; 1760 ad 2; 2471 ad 10 et 11);

3. Si Ecclesia cathedralis aut collegialis simul sit paroecialis ad Capitulum spectat:

- a) Custodire sanctissimum Eucharistiae Sacramentum;
- b) Invigilare ut in Functionibus a Parocho in capitulari Ecclesia peragendis leges liturgicae observentur;
- c) Curam Ecclesiae habere (C. I. C. 415, § 1, 3°).

4. Ad Capitulum cathedrale spectat etiam subministrare gratis Episcopo paramenta sacra et alia necessaria ad functiones pontificales peragendas in Ecclesia cathedrali et aliis civitatis et suburbii (C. I. C. 1303, § 1).

ARTICULUS III.

De Dignitatum et Canonorum iuribus, privilegiis atque obligationibus ad sacram Liturgiam spectantibus.

133. — DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS. — 1. Dignitates et Canonici a die captae possessionis ius habent:

- a) Ad vestem choralem et insignia, ad normam Bullae creationis Capituli vel Constitutionum aut apostolici privilegii, quibus uti possunt, licet non capitulariter incedant, in tota dioecesi ad quam

Capitulum pertinet, sed, reprobata contraria consuetudine, non extra dioecesim, nisi vel Episcopum comitentur vel Episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisque sollemnitatibus (C. I. C. 409, § 2).

Canonici in dignitate episcopali constituti in choro uti debent rocchetto et mantelletto loco choralis indumenti (*l. c.*, 409, § 1);

b) Ad stallum chori;

c) Ad praecedentiam (v. n. 152, XV).

2. Dignitates minoribus praelaturis aequiparantur et iure praecedentiae gaudent, sed nullam habent iurisdictionem; eorum collatio Apostolicae Sedi reservatur; prima saltem Dignitas in Capitulo cathedrali, quantum fieri potest et ceteris paribus, inter diversos candidatos, laurea doctorali in sacra theologia vel iure canonico polleat (C. I. C. 396, § 1, 3).

3. Dignitates et, in eorum defectu, Canonici, secundum ordinem praecedentiae, iuxta Caeremoniale Episcoporum, Decreta S. R. C. et Codicem Iuris Canonici (can. 397) tenentur:

a) Episcopi vicem supplere in peragendis Functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitibus (DD. 188; 241; 837 ad 1, 2 et 3; 1697; 2088 ad 2; 2120; 2219 ad 4; 3865);

b) Episcopo proprio, cappa induto Ecclesiam capitularem ingredienti aspersionem porrigere, etiamsi adsit Canonicus vel Dignitas Ecclesiae Cathedralis, dummodo capitulariter non adsit (Caer. Episc., L. 1, cap. 15, n. 3; DD. 14 ad 5; 235 ad 5; 491; 698, 1319);

c) Officio Presbyteri Assistentis fungi quando Episcopus Ordinarius celebrat in pontificalibus et etiam quando assistit, si praebendae non sunt distinctae.

Si vero praebendae sunt distinctae, quando Episcopus assistit in pontificalibus, Canonicus dignior post Dignitates inservire debet; Feria Sexta in Parasceve officium hoc, similiter si praebendae sunt distinctae, spectat ad Canonicum Presbyterum Digniori Presbytero proximum (Caer. Episc. L. 1, cap. 7, n. 1; L. 2, cap. 25, n. 7; DD. 599; 2659 ad 1);

d) Episcopo decumbenti S. Viaticum et Extremam Unionem ministrare, defuncto vero iusta funebria persolvere (Caer. Episc. L. 2, cap. 38, n. 4 et 25; DD. 1684 ad 12; 2076 ad 1; C. I. C. 397, 3°);

e) Capitulum convocare eique praeesse et ordinare quae ad Chori directionem referantur, dummodo Dignitas sit de gremio Capituli;

4. Canonici Ecclesiae Cathedralis non tenentur genuflectere

vel ante Episcopum vel ante Altare, neque ad benedictionem eiusdem Episcopi (Caer. Episc. Lib. 1, cap. 18, n. 3; DD. 310; 832).

5. Canonici adscripti Capitulo quod collegialiter gaudet privilegiis seu insignibus et iuribus ad Protonotarios Apostolicos, vel Supranumerarios, vel ad instar Participantium pertinentibus, quamvis inter Praelatos Domesticos relati non sint, singuli gestare possunt tum habitum praelatitium tum habitum *pianum* (v. n. 139, 1 et 2) et de speciali mandato Ordinarii Sacrum celebrare ornatu et more Praelatorum (v. n. 139, 5), sed tantum intra fines dioecesis cuius erit Capitulum (D. 4309).

134. — DE OBLIGATIONIBUS. — 1. Dignitates et Canonici ante possessionem tenentur fidei professionem emittere coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo (C.I.C. 405, § 2; 1406, § 1, 5^o);

2. Capitulares omnes tenentur ad servitium chorale ad normam Codicis Iuris Canonici, legum liturgicarum et constitutionum capitularium.

Servitium chorale potest esse plenum et per turnum, prout omnes Capitulares singulis diebus Choro interesse debent vel a Sede Apostolica aut foundationis legibus indultum fuerit, ita ut dimidia vel tertia Capitularium pars alternatim divina Officia persolvat;

3. Quoties Episcopus Ordinarius, cappa indutus, statuta hora et dato signo cum campana, accedat, etiam per ianuam privatam, ad Ecclesiam cathedralem, Dignitates et Canonici, etsi episcopali caractere insigniti, tenentur, ex officio, in habitu choralis ad Episcopi domum (quando contigua, vel Ecclesiae vicina est) seu cubiculum, per ipsum designatum, accedere eumque ad Ecclesiam comitari et in reddito saltem usque ad ostium domus ipsum associare (Caer. Episc. L. 1, cap. 15, n. 1; DD. 14 ad 3; 138; 139; 152 ad 1; 525 ad 3; 900 ad 7; 915 ad 5; 1585; 1735; 1903; 2310 ad 5, 6; 2471 ad 1, 2; 3199 ad 2, 3; 3748 ad 4; 3828 ad 1 et 3; 3873 ad 6; 3888 ad 2; 3953; 4057 ad 8; C. I. C. 412, § 1).

S. R. C. per Decretum generale declarat: «Neminem ex Dignitatibus et Canonici ab hoc adimplendo munere eximere se posse ob itineris longitudinem vel difficultatem, nisi forte domus episcopalis ultra bis centum passus ab Ecclesia distet, iuxta locorum consuetudinem, vel ob nimiam viarum asperitatem de qua ipse iudicabit Episcopus» (D. 3828 ad IV);

4. Canonici sive Ecclesiae cathedralis sive collegialis ab Episcopo invitati tenentur eidem solemniter celebranti aut alia ponti-

ficalia exercenti assistere et inservire in Ecclesiis civitatis et suburbii in quibus adest Capitulum (C. I. C. 412, § 1).

5. Canonici Ecclesiarum collegialium secus ac Canonici Ecclesiarum Cathedralium, tam ante Altare quam ante Episcopum, atque ad eiusdem benedictionem genuflectere tenentur (DD. 456; 2127; 2356; 2361; 2443).

ARTICULUS IV.

De Canonici ad honorem deque Canonice Coadiutoribus.

135. — CANONICI AD HONOREM nec omnia iura nec obligationes Canonice titularium habent, sed tantum iure gaudent:

1. Ad vestem choralem et alia insignia et privilegia liturgica Canonice propria in dioecesi tantum in qua nominati sunt, et extra dioecesim quando comitantur Episcopum vel eum aut Capitulum in Conciliis et in sollempnitatibus repraesentant (C. I. C. 409, § 2; DD. 3393; 4154, n. 14; 4187).

Canonice honorarii vero alicuius Basilice vel Ecclesie collegialis almae Urbis privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra eiusdem Basilice vel Ecclesie collegialis eiusque filialium ambitum (C. I. C. 407, § 1);

2. Ad praecedentiam (v. n. 152, XV);

3. Ad stallum Chori (C. I. C. 407, § 2).

136. — CANONICORUM COADIUTORES quamvis non sint vere Canonice, tamen ius habent ad vestem choralem et alia insignia et liturgica privilegia Canonice propria; et incedere debent post Canonice titulares, et ubi praebendae sint distinctae, post Canonice ordinis cui Coadiutus annumeratur.

Coadiutoribus vero Dignitatum debetur locus post Dignitates et ante Canonice (DD. 1037; 1398 ad 1; S. C. C. 31 Maii 1670; 28 Iun. 1873).

CAPUT XII.

DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS

ARTICULUS I.

De Protonotariis Apostolicis generatim.

137. — «Inter multiplices curas, quibus ob officium Nostrum apostolicum premimur, illa etiam imponitur, ut venerabilium Fratrum Nostrorum, qui episcopali caractere praefulgent, pontificales praerogativas, uti pars est, tueamur... Nostrum ergo est, illorum

excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere ».

«... hac nostra aetate saepe videre est Praelatos, immoderato insignium et praerogativarum usu, praesertim circa Pontificalia, viliores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

« Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus Nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia adiiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublatis omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, praerogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective, quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut praetensis, etiam Praedecessorum Nostrorum et Apostolicae Sedis Constitutionibus, Decretis aut Rescriptis confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, constituimus, praecipimus, ut in posterum, Praelati Episcopis inferiores aliique, de quibus infra, qua tales, non alia insignia, privilegia, praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in Nostro Documento, Motu proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur » (E Motu proprio Pii Pp. X « *Inter multiplices* » diei 21 Febr. 1905) - (D. 4154).

138. — QUATUOR ORDINES PROTONOTARIORUM HABENTUR:

I. - PROTONOTARII APOSTOLICI DE NUMERO PARTICIPANTIUM qui septem sunt et Collegium privative constituunt quod in Romana Curia residet.

II. - PROTONOTARII APOSTOLICI SUPRANUMERARII ad quem ordinem tantum pertinent Canonici trium Capitulorum Urbis Basilicarum nempe: Lateranensis, Vaticanae et Liberiana; itemque qui ad aliquam Dignitatem vel Canonicatum pertinent aliarum quarundam extra Urbem Ecclesiarum quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Ad hunc Protonotariorum ordinem nemo tanquam privatus aggregatur.

III. - PROTONOTARII APOSTOLICI AD INSTAR PARTICIPANTIUM inter quos adnumerantur illi ecclesiastici viri, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea Dignitates et Canonici alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et

privilegia Protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata.

IV. - PROTONOTARII APOSTOLICI TITULARES SEU HONORARII sunt Praelati extra Urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis, Praelatorum Domus Pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur (*l. c.*).

ARTICULUS II.

De privilegiis Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium.

139. — Protonotarii Apostolici de numero participantium: 1. « Habitu praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, numquam tamen explicanda, neque in ipsis pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et palliolum, seu mantelletum supra rocchettum; insuper nigrum biretum, flocculo ornatum coloris *rubini*: pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris, cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anteriores extremitates vestis ac mantelleti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus (*paramani*) in manicis » (etiam rocchetti) - (D. 4154, § 16).

Super mantelletum, accedentes ad Ecclesiam, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, gestare possunt crucem pectoralem auream, cum unica gemma, pendentem a funiculo serico *rubini* coloris commixto cum auro et simili flocculo retro ornato; a cruce pectorali alias abstinebunt (*l. c.*, § 7 et 8).

2. « Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano*, in congregationibus, conventibus, sollemnibus audientiis ecclesiasticis et civilibus, idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur » (*l. c.*, § 17).

3. Annulo gemmato semper iure utuntur etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus (*l. c.*, § 4).

4. Extra Urbem celebrare possunt Officia divina ritu pontificali,

iuxta regulas infra traditas, petita venia loci Ordinarii, ac consensu Praelati Ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum (*l. c.*, I, n. 5).

5. Romae et extra Missam lectam cum aliqua sollemnitate celebrare possunt pariter iuxta normas infra traditas.

In aliis Missis lectis a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu palmatoriae et annuli (*l. c.*, § 10).

6. Gaudent indulto Oratorii privati et Altaris portatilis. Qui Missae ipsorum intererunt, ubivis celebrandae, sive in Oratoriis privatis sive in Altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfaciunt (*l. c.*, § 11).

7. Praecedunt ipsis Abbatibus et Praelatis *nullius* extra eorum territoria (*ibidem*).

8. Qui ante decimum annum ab adepto Protonotariatu Collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alios, iuxta Xysti V Constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter Protonotarios *ad instar* eo ipso erit adscriptus (*l. c.*, § 12).

9. « Propriis insignibus seu stemmatibus imponere possunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus eiusdem *rubini* coloris sine cruce et mitra » (*l. c.*, § 18).

ARTICULUS III.

De privilegiis Protonotariorum Apostolicorum Supranumerariorum.

140. — Protonotarii Apostolici supranumerarii: 1. Habitu praelatitio et eo qui *pianus* dicitur uti possunt ad normam n. 1 et 2 praecedentis Articuli, sed crux pectoralis erit sine gemmis e cordula serica rubini ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata.

2. Annulo uti possunt cum unica gemma in Missis, Vesperis aliisque functionibus pontificaliter tantum celebrandis (D. 4154, § 27, 28).

3. Extra Urbem, et impetrata venia Ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus sollemnitatibus voluerit, atque obtento etiam consensu Praelati Ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu Missas et Vesperas aliasque sacras functiones peragere possunt (*l. c.*, § 25) iuxta regulas infra traditas.

4. De speciali commissione Ordinarii etiam Missam pro defunctis ritu pontificali celebrare possunt cum absolute in fine, mitra linea utentes (*l. c.*, § 30).

5. Romae et extra Missam lectam cum aliqua sollemnitate celebrare possunt iuxta praescripta infra tradita; in aliis Missis lectis a simplici Sacerdote ne differant nisi in usu palmatoriae (*l. c.*, § 31).

6. Canonici trium Patriarchalium Urbis sacra peragere ritu pontificali, ut alii Canonici Protonotarii Supranumerarii infra terminos propriae dioecesis, in Ecclesiis totius terrarum Orbis, impetrata Ordinariorum venia ac Praesulum Ecclesiarum exemptarum consensu, possunt (*l. c.*, § 33).

7. Canonici omnes, etiam Honorarii, tum Patriarchalium Urbis tum qui Dignitate aut Canonatu potiuntur in Capitulis extra Urbem Ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit ubique fruenda, tanquam singuli insignibus et iuribus Protonotariorum ne fruantur, nec gaudeant nomine et honore Praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sint, et antea testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsius Collegii Decano vel per se vel per legitimum procuratorem Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, proprium Ordinarium certiore fecerint. Quibus expletis eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur (*l. c.*, § 14 et 34).

8. « Iam vero ne privilegiorum diversitas, quae inter homines eiusdem Ordinis animadvertatur, christianae plebis admirationem moveat, Canonicis qui, cum sint e Capitulis modo memoratis, inter Praelatos Domesticos relati non sint, damus et concedimus, ut collegialiter quidem omnibus fruantur privilegiis suo ipsorum Capitulo ab Apostolica Sede tributis, singuli autem tum praelatitium habitum et *pianum*, quem vocant, gestare, ut est in illis ipsis Nostris litteris ad § 16 et 17 (v. n. 139, 1 et 2); tum, de speciali mandato Ordinarii, ornato et more Praelatorum, de quo ibidem ad § 31 (in Decr. 4154) sermo est, Sacrum celebrare possint. Qua duplici potestate non eis licebit uti, nisi intra fines dioecesis, cuius erit Capitulum » (D. 4309).

9. « Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu rocchetti et mantelletti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent » (D. 4154, § 19).

10. « Habitu praelatio induti, Clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, antecedunt, minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis » (l. c., § 21).

11. Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectunt, sed tantum sese inclinant; duplici ductu thurificantur: item, si sacris vestibus induti functionibus in Choro adsistant (*ibidem*).

12. « Propriis insignibus seu stemmatibus imponere possunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem rubini coloris sine cruce vel mitra » (l. c., § 18).

13. « Gaudent indulto Oratorii privati, domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam sollemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis, Festis) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alius Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem etiam ad praeceptum implendum » (l. c., § 22).

14. « Collegialiter » tamquam Canonici, pontificalibus functionibus, iuxta *Caeremoniale Episcoporum*, sacris vestibus induti adsistentes, non alia mitra utantur, quam simplici, nec umquam hoc et ceteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam Ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque in Choro cum aliis mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemniter Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas vel Canonicus aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, mitra non utentur (l. c., II, n. 36).

15. Qui inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sunt, « cappam laneam violaceam pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem rubini coloris serico ornatam induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post Protonotarios Participantes » (l. c., § 20).

ARTICULUS IV.

De privilegiis Protonotariorum Apostolicorum « ad instar » Participantium.

141. — I. - Qui Protonotarii Apostolici *ad instar*, tamquam singuli, iuribus honorantur:

1. Eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae.

2. Habitu praelatio et eo, qui *pianus* dicitur, uti possunt ad normam n. 1 et 2 Articuli II huius Capitis, sed crux pectoralis erit sine gemmis appensa funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto (l. c., § 47).

3. Iisdem privilegiis gaudent ut in Articulo praecedenti n. 2, 5, 9, 10, 11, 12, 13. Circa vero sacras Functiones servare debent regulas infra traditas.

II. - Qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent tanquam Canonici alicuius Capituli ea retineant quae sub n. 14 praecedentis Articuli constituta sunt.

ARTICULUS V.

De privilegiis Protonotariorum Apostolicorum Titularium seu Honorariorum.

142. — Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii: 1. « Extra Urbem dummodo Summus Pontifex eo loco non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (numquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, rocchetto, mantelletto, et bireto, absque ulla horum omnino parte, subsuto aut ornamento alterius coloris » (D. 4154, § 64).

2. « Extra Urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tanquam chorale insigne concessum sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit » (l. c., § 65).

3. « Habitu praelatio induti, omnibus Clericis, Presbyteris etiam Canonicis, singulatim sumptis, praeferantur non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium et Abbatibus ac Praelatis Romanae Curiae » (l. c., § 66).

4. « Non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac duplici ductu thurificantur » (*ibidem*).

5. « Super habitu quotidiano, occasione solemniter conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigram cum laciniis item nigris gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato » (l. c., § 67).

6. « Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis et sex hinc sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris » (l. c., § 68).

7. « Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis

ratione, Choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas Protonotariis Supranumerariis constitutas (vide Art. III, n. 9), vestis colore excepto » (l. c., § 69).

8. « Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant, attamen extra Urbem in Missis et Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, palmatoria tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali suppellectili » (l. c., § 70).

CAPUT XIII.

DE PRAELATIS URBANIS SEU DOMESTICIS

143. — Praelati Urbani seu Domestici, etsi nulli Collegio adscripti, ii nempe qui tales renunciati, Breve Apostolicum obtinuerunt, gestare possunt habitum praelatitium et quem *pianum* vocant iuxta Romanae Curiae consuetudinem prout supra n. 139, 1, 2 describitur; nec alio uti colore quam violaceo in bireti flocculo et pilei vitta, opere reticulato distincta, sive chordulis et flocculis, etiam in pileo stemmatibus imponendo, ut n. 139, 9 dictum est, nisi, pro eorum aliquo, constet de maiori particulari privilegio.

In Missa cum cantu vel etiam lecta cum aliqua solemnitate celebranda, item in Vesperis aliisque solemnibus functionibus palmatoria uti possunt, non vero Canone aut alia pontificali suppellectili (D. 4154, § 78 et 79).

CAPUT XIV.

DE DIGNITATIBUS, CANONICIS ET ALIIS QUI NONNULLIS PRIVILEGIIS PRAELATORUM PROPRIIS FRUUNTUR

144. — « Ex Romanorum Pontificum indulgentia, insignia quaedam praelatitia aut pontificalia aliis Collegiis, praesertim Canonicorum, eorumve Dignitatibus, quocumque nomine nuncupentur, vel a priscis temporibus tribui consueverunt; cum autem eiusmodi privilegia deminutionem quamdam episcopali dignitati videantur afferre, idcirco ea sunt de iure strictissime interpretanda. Huic principio inhaerentes, expresse volumus, ut in pontificalium usu nemini ad aliquod ex supra memoratis Collegiis pertinenti in posterum ampliora suffragentur privilegia, quam quae, superius descripta, com-

petunt Protonotariis sive Supranumerariis, sive *ad instar*, et quidem non ultra propriae Ecclesiae, aut ad summum Dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites; neque ultra dies iam designatos, aut determinatas functiones; et quae arctiora sunt, ne augeantur » (D. 4154, § 80).

CAPUT XV.

DE ABBATIBUS REGULARIBUS DE REGIMINE

145. — ABBATES REGULARES DE REGIMINE sunt Praelati qui perpetuo vel ad tempus praesunt Monasteriis *sui iuris*.

146. — Electi legitime ad regimen Monasterii debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere ab Episcopo Dioecesis in qua situm est Monasterium (C. I. C. 625).

Ad benedictionem Abbatum extra Romanam Curiam requiritur *Mandatum Apostolicum*, quod generatim dirigitur ad Episcopum, cuius in Dioecesi Monasterium Abbatis benedicendi adsit.

Abbatibus omnibus Ordinis S. Benedicti confoederati per Brevem Benedicti XV « *Pro benedictione* » (19 Iun. 1921) conceditur semel pro semper *Mandatum generale* itemque privilegium benedictionem recipiendi a quolibet Episcopo cum Sede Apostolica communionem habente, quoties sedes episcopalis vacaverit vel quoties in scriptis constiterit Episcopum dioecesanum aut legitime impeditum fuisse, quominus eam ipse conferat, aut consensum suum ad hoc dedisse.

147. — PRIVILEGIA AC IURA AD S. LITURGIAM SPECTANTIA:

1. Uti in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno et baldachino qui duos tantum gradus habere potest absque suppedaneo, et erigendus pro Functionibus pontificalibus solemnibus tantum.

2. Deferre crucem pectoralem, anulum cum gemma ac pileolum nigri coloris etiam extra proprium territorium.

3. Supra superpelliceum, vel rocchetto si Canonici regulares, se induere mantelletto et mozzetta vel cappa, pro re.

4. Officia divina ritu pontificali celebrare in proprio territorio, absque dierum limitatione (C. I. C. 625), sed quoad ceteras liturgicas praescriptiones conformare se debent Decreto generali S. R. C. coram Alexandro VII, die 27 Sept. 1659, relato sub. n. 1131.

5. Conferre possunt primam tonsuram et ordines minores dummodo promovendus sit ipsis subditus vi professionis saltem simplicis, ipsi vero benedictionem abbatialem legitime acceperint. Extra

hos fines, Ordinatio ab eisdem collata, revocato quolibet privilegio, est irrita, nisi Ordinantes caractere episcopali polleant (C. I. C. 625; 964, n. 1).

6. Illis celebrantibus genuflexiones debentur in suae iurisdictionis Ecclesiis tantum (D. 3059 ad XX).

7. Abbas regularis qui Ecclesiae paroeciali praeest, potest absque Ordinarii loci licentia Processionem facere per civitatem cum suis Monachis tantum, dummodo non exeat extra paroeciae fines; nequit vero in Processionibus extra suam Ecclesiam et conventum mitra et baculo uti (DD. 168 ad 1 et 3; 768; 873; 1131, n. 8).

8. Abbas regularis in publicis Processionibus incedere debet cum suo Clero regulari (D. 298); si plures Abbates regulares simul publicis Processionibus intersint, quilibet ex praedictis Abbatibus incedere debet cum suo Clero et sub suae Ecclesiae propria Cruce in loco sibi debito (D. 307).

CAPUT XVI.

DE PRAECEDENTIA

INTER VARIAS PERSONAS PHYSICAS SEU MORALES

ARTICULUS I.

De praecedentia in genere.

148. — « Praecedentia est praeminentia honoris unius prae alio, seu est ius ad externam praeminentiam honoris in publicis conventibus seu manifestationibus » (P. Matthaeus a Coronata, *Inst. Iur. Canon.*, vol. I, n. 155).

Hinc praecedere significat tenere locum nobiliorem prae aliis.

149. — Locus nobilior intra Ecclesiam generatim est propinquior ad Altare maius: in Processionibus pro Clericis, habitu choralis vel sacris vestibus indutis, locus a Cruce remotior; pro Clericis vero habitu praelatitio indutis, immediate post Celebrantem.

Si in Processione deferatur SS. Sacramentum vel Imago Sancti, in cuius honorem fit Processio, locus nobilior est immediate ante SS. Sacramentum vel Imaginem Sancti, si Clerici habitu choralis vel paramentis sacris induti sint; immediate post, si habitu praelatitio induti. Item in delatione cadaverum immediate ante vel post cadaver.

In conventibus nobilior locus est prima sedes seu princeps, generatim in capite aulae collocata.

150. — Duo sunt principia generalia praecedentiae: *personalia* seu *propria*, non *personalia* seu *repraesentationis*.

PERSONALIA SEU PROPRIA ea sunt quae respiciunt auctoritatem et excellentiam personae cui praecedentia datur. « Cui est auctoritas in personas sive físicas sive morales, eidem ius est praecedentiae super illas » (C. I. C. 106, 2^o). Hinc: Vicarius Generalis super omnibus de Clero, non exclusis Dignitatibus et Canonicis, praecedentiae ius habet (*l. c.*, 370, § 1); Cardinales praecedunt « ... omnibus Praelatis etiam Patriarchis, imo ipsis Legatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens... » (*l. c.*, 239, § 1, 21^o).

NON PERSONALIA SEU REPRÆSENTATIONIS sunt ea principia quibus alicui praecedentia datur non propriae auctoritatis causa, sed propter auctoritatem personae repraesentatae. « Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam; sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt nomine proprio » (*l. c.*, 106, 1^o). Principio hoc Legati Romani Pontificis, licet caractere episcopali careant, praecedunt omnibus Ordinariis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti (*l. c.*, 269, § 2). Episcopus qui in Concilio Oecumenico Patriarchae vices gerit sedet post Patriarchas; Sacerdos qui in Concilio Plenario interest ut Archiepiscopi procurator, sedet post Archiepiscopos, sed ante Episcopos.

151. — « In praecedentia diversitas ritus non attenditur » (*l. c.*, 106, 4^o).

Salvis principiis generalibus, inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alias auctoritatem:

1. « Qui ad gradum potiore pertinet, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus » (*l. c.*, 106, 3^o).

« Nomine *gradus* ubi agitur de personis ecclesiasticis venit locus, moraliter sumptus, sive status quem ecclesiastica persona habet in sacra hierarchia » (Card. De Luca, *De iurisdictione et foro competenti*, disc. 24, n. 13; disc. 28, n. 4). « Vocabulum *gradus* multipliciter usurpari solet. Si applicatur personis ecclesiasticis denotat conditionem, statum, dignitatem, habito respectu ad hierarchiam ecclesiasticam » (Manfredi, *De praecedentia, iuribus et officiis*, etc., c. 3, q. 4, dub. 5, n. 2). Hinc « Patriarcha praecedit Primati, Primas Archiepiscopo, hic Episcopis, salvo praescripto can. 347 » (C.I.C. 280).

2. « ... Inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altiore ordinem tenet, praecedit iis qui in inferiore sunt positi... » (*l. c.*, 106, 3^o).

Nomine *ordinis* intelligitur ordo sacer quia in iure verba *ordinare*, *ordo*, *ordinatio*, *sacra ordinatio*, comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum, acolythatum, exorcistatum, lectoratum, ostiariatum, et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur (*l. c.*, 949 et 950). Hinc Presbyteri praecedunt Diaconos, Diaconi Subdiaconos, etc.

3. «..... Si denique ad eundem gradum pertinent eundemque ordinem habeant, praecedit qui prius promotus est ad gradum; si eodem tempore promoti sint, senior ordinatione, nisi iunior ordinatus fuerit a Romano Pontifice; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate» (*l. c.*, 106, 3^o).

« Inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est... » (*l. c.*, 106, 5^o).

Is dicitur in pacifica quasi possessione praecedentiae, qui licet ius suum ad praecedentiam probare non possit, tamen probare potest se a quatuor vel a quinque annis, absque reclamazione praecedere consuevisse; quod si probet, praesumptionem iuris praecedentiae ex hoc canone habet; quod valet quamvis alia persona moralis eiusdem gradus eiusdemque speciei se in loco antiquius exsistere probet.

Inter personas morales eiusdem speciei, sed non eiusdem gradus et inter se aliquo modo colligatas, ea praecedit quae superioris est gradus. Principio hoc « Capitulum Cathedrale praecedit Collegiali etiam insigni, in ipsa quoque collegiali Ecclesia: Capitulum insigne praecedit non insigne... » (*l. c.*, 408, § 1).

Inter personas morales diversae speciei illa praecedit quae specie est altior. Hinc « Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; canonici regulares, monachis; monachi, ceteris regularibus; regulares, Congregationibus religiosis; Congregationes iuris pontificii, Congregationibus iuris dioecesanis... » (*l. c.*, 491, § 1).

« Inter sodales vero alicuius collegii, ius praecedentiae determinatur ex propriis legitimis constitutionibus, secus ex legitima consuetudine; qua deficiente, ex praescripto iuris communis » (*l. c.*, 106, 5^o).

« Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum ipsis commissorum; et omnes de praecedentia controversias, etiam inter exemptos,

quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque» (*l. c.*, 106, 6^o).

ARTICULUS II.

De praecedentia in specie.

152. — I. - CARDINALES. — Cardinalis Legatus *a latere* extra Urbem semper et ubique praecedit omnibus Cardinalibus; si non est *a latere* praecedit omnibus Cardinalibus tantum in territorio legationis (C. I. C. 269, § 2; 239, § 1, 21^o).

Cardinales praecedunt « omnibus Praelatis etiam Patriarchis, imo Legatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens » (*l. c.*, 239, § 1, 21^o).

ORDO PRAECEDENTIAE INTER CARDINALES: 1. Decanus idest «...antiquior promotione ad aliquam sedem suburbicariam, cui tamen nulla est in ceteros Cardinales iurisdictio, sed ipse primus habetur inter aequales » (*l. c.*, 237, § 1).

2. Subdecanus.

3. Cardinales Episcopi suburbicarii iuxta tempus promotionis ad sedem suburbicariam.

4. Cardinales Presbyteri iuxta tempus promotionis ad dignitatem cardinalitiam, sed qui caractere episcopali insigniti sunt ceteris praecedunt, servata promotionis prioritatem ad dignitatem cardinalitiam inter eos qui in eodem sacro ordine constituti sunt.

5. Cardinales Diaconi pariter iuxta prioritatem ad cardinalitiam dignitatem. Cardinalis, qui ex ordine diaconali ad ordinem presbyteralem per optionem transit, praecedit omnibus Cardinalibus Presbyteris qui post ipsum ad sacram purpuram assumpti sunt.

Cardinalis, cuius nomen Romanus Pontifex « *in pectore* » sibi reservavit, iure praecedentiae gaudet a die reservationis, non vero a publicatione.

II. - LEGATI ROMANI PONTIFICIS. — Nuntii, Internuntii, Delegati Apostolici et Praelati qui a Romano Pontifice missi sunt cum potestate delegata ad aliquod peculiare negotium « licet forte caractere episcopali careant praecedunt tamen omnibus Ordinariis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti » (C. I. C. 269, § 2).

« Episcopis qui, ratione sedis, titulo Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale ius » (*l. c.*, 270).

III. - PATRIARCHAE, PRIMATES, ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI SIVE RESIDENTIALES SIVE TITULARES. — Patriarcha praecedit Primati,

Primas Archiepiscopo, hic Episcopo; Episcopus vero in proprio territorio praecedit omnibus istis, excepto proprio Metropolita (C. I. C. 280; 347).

S. R. Congregatio declaravit circa praecedentiam inter Episcopos nullam aliam rationem esse habendam nisi temporis electionis seu promotionis ad Episcopatum (D. 270). Si plures Episcopi eodem die in Consistorio propositi et confirmati fuerint, praecedunt iuxta ordinem quo in Consistorio propositi et confirmati fuerint.

Episcopus consecratus praecedit Episcopo non consecrato, licet hic propositus et confirmatus prius fuerit, sed cum consecrationem episcopalem acceperit praecedit omnibus qui post ipsum propositi et confirmati fuerint in Consistorio.

Praecedentia inter Episcopos suffraganeos in Concilio Provinciali aliisque Conventibus provincialibus definienda est a die praeconizationis seu electionis in episcopatum, non vero a die promotionis ad sedem suffraganeam (Caer. Episc. L. 1, cap. 31, n. 15; ex Resp. Pont. Comm. ad Cod. Can. authentice interpr. die 10 novembris 1925).

IV. - PROTONOTARII APOSTOLICI DE NUMERO PARTICIPANTIUM. — Hi Praelati praecedunt Abbatibus et Praelatis *nullius*, Vicariis et Praefectis Apostolicis, caractere episcopali carentibus et extra territoria eorum iurisdictionis.

V. - ABBATES ET PRAELATI « NULLIUS », VICARII ET PRAEFECTI APOSTOLICI CHARACTERE EPISCOPALI NON INSIGNITI. — In proprio territorio Praelati isti omnibus praecedunt, exceptis Clericis caractere episcopali insignitis.

Praecedentia inter hos Praelatos definienda est a die electionis, sed Abbas Archicoenobii Montis Cassini omnibus praecedit.

VI. - PROTONOTARII APOSTOLICI SUPRANUMERARII ET AD INSTAR. — « Sciant praeterea (hi Praelati), se, licet forte plures una simul, non tanquam alicuius Ecclesiae Canonici, sed tanquam Protonotarii conveniant, non idcirco Collegium praelatitium constituere; verum quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificia Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Capellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus » (Ex Mot. pr. « *Inter multiples* ») - (D. 4154, § 40; et § 57).

VII. - ABBATES REGULARES DE REGIMINE. — Praelati isti praecedunt Superioribus generalibus Ordinum Regularium.

VIII. - SUPERIORES GENERALES ORDINUM REGULARIUM. — Hi Praelati praecedunt Protonotariis Apostolicis Titularibus seu Honorariis.

IX. - PROTONOTARII APOSTOLICI TITULARES SEU HONORARII. — « Habitu praelatitio induti (hi Praelati), omnibus clericis, Presbyteris etiam Canonicis, singulatim sumptis praeferantur, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium et Abbatibus ac Praelatis Romanae Curiae... » (l. c., § 66).

X. - FAMILIARES ROMANI PONTIFICIS. — « Circa Romani Pontificis Familiares, sive praelati titulo gaudeant sive non, standum privilegiis, regulis et traditionibus pontificiae Domus » (C. I. C. 328).

XI. - VICARIUS GENERALIS, sive Canonicus sive non, etiam praesente Episcopo, publice privatimque praecedit omnibus dioecesis Clericis, non exclusis Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, non solum extra Chorum, sed etiam in Choro et in actibus capitularibus, nisi Clericus caractere episcopali praefulgeat et Vicarius Generalis eodem careat (Cfr. C. I. C. 370, § 1; S. C. C. « *Cuneen. et Utinen. Praecedentiae* », 17 Maii 1919; « *Lucerina* », 15 Decembr. 1923).

XII. - VICARIUS CAPITULARIS eodem praecedentiae iure Vicarii Generalis gaudet.

XIII. - CAPITULUM CATHEDRALE. — « Capitulum cathedrale praecedit collegiali etiam insigni, in ipsa quoque collegiali ecclesia... » (C. I. C. 408, § 1; DD. 87 ad 1; 748; 1172; 2371 ad 4) et Religiosis etiam in eorum Ecclesia, licet exempta (C. I. C. 491, § 2). Adhuc autem requiritur ut Canonici capitulariter incedant.

Ad incedendum capitulariter sufficit et requiritur ut saltem tres Canonici sub Cruce Capituli incedant (DD. 681; 710).

XIV. - CAPITULUM COLLEGALE. — Capitulum collegiale insigne praecedit non insigni (C. I. C. 408, § 1). Inter Capitula collegialia eiusdem gradus, illud praecedit, iuxta praescriptum can. 106, 5º, quod est in pacifica quasi possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quod prius institutum est.

Capitulum collegiale ad Ecclesiam cathedralem accedens capitulariter, condecens locum ab Ordinario assignatum habere debet, et praefendum est Beneficiariis Ecclesiae cathedralis: praeterquam in Processione in qua Clerus huius Ecclesiae cathedralis, qui ex omnibus Canonicis, Presbyteris, Beneficiariis, Cappellanis et Clericis constat, semper ultimo et digniori loco incedit, iuxta Caeremoniale Episcoporum, L. 2, cap. 33, n. 5 (DD. 238; 1205 ad 1 et 2; 2070).

XV. - CANONICI. — «... In eodem Capitulo, salvis particulis statutis, vel legitimis consuetudinibus, Dignitates, servato inter se praecedentiae ordine, praecedunt Canonicis; Canonici antiquiores, qui nempe prius possessionem ceperunt, posterioribus; Canonici titulares, honorariis; honorarii, beneficiariis; Dignitates vero aut Capitulares, caractere episcopali ornati, omnibus Dignitatibus ac Canonicis in presbyterali tantum ordine constitutis praecedunt» (C. I. C. 408, § 1).

Ubi praebendae non sunt distinctae, Canonicus Sacerdos semper praecedit Canonico caractere presbyterali non ornato, cuius praecedentia definienda est a die ordinationis in presbyteratum, non autem receptionis in Capitulum (Card. Gennari, *Quist. canoniche*, n. 284).

« In Capitulis in quibus habentur distinctae praebendae presbyterales, diaconales, subdiaconales, servetur praecedentia ordinis; et in eodem ordine praecedentia receptionis in ordinem, non autem in Capitulum » (C. I. C. 408, § 2).

In Capitulis istis, Canonici ordinis presbyteralis, licet ordine presbyterali carentes, praecedunt Canonicis ordinis diaconalis quamvis Sacerdotes; et Canonici ordinis diaconalis, licet Clerici in ordine diaconali non constituti, praecedunt Canonicis ordinis subdiaconalis, quamvis ordine presbyterali insignitis vel ad diaconatum promotis.

Id tantum ex iure particulari accidere potest, nam ex iure communi praescribitur ut promovendi ad canonicatum Sacerdotes sint (*l. c.*, 404, § 1).

Canonici honorarii incedunt post Canonicos titulares; inter se praecedentia definienda est a die electionis; et si plures eodem die electi fuerint, iuxta ordinem quo Capitulo propositi fuerint ab Ordinario, cuius « est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum ipsis commissorum... » (C. I. C. 106, 6^o).

Canonici uti singuli nullo praecedentiae iure super alios dioecesis Clericos gaudent nisi eo quod a sacerdotali ordinatione oritur (D. 711).

XVI. - CANONICORUM COADIUTORES. — Coadiutores Canonico- rum incedunt post Canonicos titulares: et ubi praebendae sunt distinctae post Canonicos ordinis cui Coadiutus annumeratur. Coadiutoribus vero Dignitatum debetur locus post Dignitates et ante Canonicos (DD. 1037; 1398 ad 1; S. C. C. 31 Maii 1670; 28 Jun. 1873).

Canonicus Coadiutor, licet cum futura successione, post Coadiuti mortem non gaudet iure praecedentiae super Canonicos titulares electos post ipsum ad coadiutoriam quia « Coadiutor durante vita coadiuti non est verus Canonicus, sed fictus, non habet ius nec titulum in beneficio, sed tantum exercitium et administrationem, nomine Coadiuti, penes quem residet totale ius in canonicatu » (De Herdt, *Prax. Caer.*, cap. 11, § 15, n. 11).

XVII. - PAROCHI. — Parochi collegialiter praecedunt omnibus Dioecesis Clericis uti singulis incedentibus, excepto Vicario Generali.

Inter Parochos vero ius praecedentiae determinatur iuxta tempus promotionis ad parochiale officium, sed Parochus Ecclesiae cathedralis qua Parochus et quidem in concursu aliorum Parochorum, quatum, praecedit omnibus aliis Dioecesis Parochis; eadem praecedentia competit Vicario paroeciali Capitulii cathedralis (C. I. C. 478, § 1). Si Parochus ad aliam paroeciam transferatur non amittit ius praecedentiae.

In sua propria Ecclesia Parochus praecedit omnibus Dioecesis Clericis, excepto Vicario Generali, et, exclusis Canonicis Ecclesiae cathedralis ac collegialis quando capitulariter accedunt (D. 723).

Praesente vero Capitulo sive cathedrali sive collegiali, licet Parochus praecedentiae ius cedat, non amittit ius funerandi (D. 3062 ad 1), nisi adsit immemorabilis consuetudo contraria.

In Ecclesia paroeciali ubi Canonico- rum Capitulium adest, si Parochus sit Dignitas vel Canonicus sive titularis sive honorarius ei competunt tantum quae spectant ad Dignitatem vel ad Canonicatum sive titulare sive honorarium; secus habet tantum praecedentiam super Canonicos ut singulos et supra simplices Sacerdotes, numquam vero sedere et incedere potest inter Canonicos et Mansionarios Ecclesiae (D. 3251 ad 3).

XVIII. - VICARII PAROECIALES. — Vicarii paroeciales eodem praecedentiae iure gaudent ac Parochi, quia veri Parochi sunt, ad eos etenim « exclusive pertinet tota animarum cura cum omnibus Parochorum iuribus et obligationibus ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines » (C. I. C. 471, § 4).

Vicarius paroecialis Capitulii Ecclesiae cathedralis, ut supra diximus, « praecedit omnibus aliis dioecesis Parochis aut Vicariis » (*l. c.*, 478, § 1).

XIX. - VICARII OECONOMI. — Vicarii oeconomi idem praecedentiae ius habent ac Parochi; praecedunt ergo iuxta gradum promotionis ad officium, ordinationis tempus, aetatem, etc., ad normam can. 106, 1^o et 3^o.

XX. - VICARII SUBSTITUTI ET COADIUTORES. — Hi Vicarii habent tantum, et quidem durante munere, praecedentiam super Vicarios cooperatores et alios Clericos Ecclesiae paroeciali addictos.

XXI. - VICARII COOPERATORES. — Dum Vicarii cooperatores in munere manent praecedunt aliis Ecclesiae paroeciali Clericis addictis tantum, non vero praecedunt aliis Sacerdotibus paroeciae non addictis antiquioribus ratione ordinationis (D. 3780 ad 2).

XXII. - PRESBYTERI. — Praecedentia inter simplices Sacerdotes etiamsi religiosos saecularizatos (D. 936) definienda est iuxta tempus promotionis ad presbyteratum, sed supra omnes praecedentiae iure gaudet qui ordinatus fuerit a Romano Pontifice.

S. C. de Propaganda Fide per Decretum diei 16 Ian. 1924 revocavit privilegium (firmis manentibus ceteris privilegiis titulo Missionarii Apostolici adnexis) respiciens praecedentiam eorundem Missionariorum Apostolicorum relate ad eos qui hoc titulo non sunt insigniti.

XXIII. - VICARII FORANEI. — Vicarius foraneus « praecedit omnibus Parochis aliisque Sacerdotibus sui districtus » (C. I. C. 450, § 2); non gaudet vero praecedentiae iure super Capitulum collegiale in suo districtu existens.

Si Vicarius foraneus sit simul Canonicus Capituli collegialis in suo districtu, vi canonis 450, § 2 non praecedit ceteris Canonicis in Choro et actibus capitularibus (Ex Resp. Pont. Comm. ad Cod. Can. authentice interp. die 10 Nov. 1925).

XXIV. - CLERUS SAECULARIS. — Clerus saecularis praecedit tum laicis tum religiosis extra eorum Ecclesias atque etiam in eorum Ecclesiis, si agatur de religione laicali; Capitulum vero cathedrale vel collegiale eisdem praecedit ubique locorum (C. I. C. 491, § 2).

XXV. - RELIGIOSI. — « Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; Canonici regulares, monachis; monachi, ceteris regularibus; regulares, Congregationibus religiosis; Congregationes iuris pontificii, Congregationibus iuris dioecesani; in eadem specie servetur praescriptum can. 106, 5º » (C. I. C. 491, § 1).

A) Religio clericalis est « religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est laicalis » (l. c., 488, 4º). Religio clericalis non cessat talis esse si per accidens aliquo tempore maiorum numerum conversorum quam clericorum habeat; et religio laicalis, licet aliquos sodales caractere sacerdotali insignitos habeat, laicalis remanet.

B) Congregatio *iuris pontificii* ea est quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta; *iuris vero dioecesani* dicitur ea Congregatio quae ab Ordinario erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit (l. c., 3º).

Congregatio *iuris pontificii* suam praecedentiam super alias eiusdem iuris Congregationes computare debet a die quo ab Apostolica Sede approbata est, non vero a die erectionis in Congregationem *iuris dioecesani*.

C) Omnes Religiosi, exceptis religionis laicalis sodalibus, in suis Ecclesiis super alios Religiosos iure praecedentiae gaudent.

Inter religiosas Familias eiusdem speciei illa praecedit quae est in pacifica quasi possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est (C. I. C. 106, 5º).

D) Pro omnibus et singulis tribus Minoritici Ordinis Familiis iuxta Litt. Apost. Pii Pp. X f. r. « *Seraphici Patriarchae* » datam die 15 Aug. 1910 sequens praecedentiae norma attendenda est:

Praecedentia quoad singulos conventus respicit civitatem cum suo suburbio, vel locum cum suo suburbio, unde qui sunt in loco proprio praecedunt aliis; quod si nulla ex Familiis Minoriticis sit in loco proprio, Fratres Minores praecedant Fratribus Minoribus Conventualibus; Fratres Minores Conventuales Fratribus Minoribus Capuccinis.

E) Religiosa Familia recenter fundata in loco ubi eiusdem Ordinis seu Congregationis altera adest, eodem praecedentiae iure gaudet quo sodales antiquioris eiusdem Ordinis seu Congregationis Familiae, ita ut omnes sub una Cruce procedere debeant (D. 352). Inter sodales eiusdem religionis ius praecedentiae determinatur ex propriis legitimis constitutionibus; secus ex legitima consuetudine; qua deficiente, ex praescripto iuris communis (C. I. C. 106, 5º) ad normam can. 106 et 491.

Licet alicuius Religionis legitimae constitutiones, et sive alicuius domus sive provinciae religiosae, consuetudines legitimae iuri communi contrariae sint, pariter servandae sunt.

XXVI. - RELIGIOSAE. — Quamvis mulieres Processionibus active participare non deberent (S. C. EE. et RR. 26 Martii 1897), tamen, si admittantur ex iure aliquo particulari vel ex consuetudine, salvo praescripto Ritualis Romani (Tit. IX, cap. I, n. 4) « ...feminae a viris separatae orantes prosequantur ». Religiosae mulieribus laicis praecedant, et inter Familias Religiosarum praecedentia servetur ad instar Religiosorum, nam: « Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet » (C. I. C. 490).

XXVII. - LAICI. — «§ 1. Inter pias laicorum associationes, ordo praecedentiae est qui sequitur, firmo praescripto can. 106, nn. 5, 6:

- 1º Tertii Ordines;
- 2º Archiconfraternitates;
- 3º Confraternitates;
- 4º Piae uniones primariae;
- 5º Aliae piae uniones.

«§ 2. Confraternitas sanctissimi Sacramenti, si agatur de processione in qua defertur sanctissimum Sacramentum, praecedit ipsis archiconfraternitatibus.

«§ 3. Omnes autem tunc solummodo ius praecedentiae habent, cum collegialiter incedunt sub propria Cruce vel vexillo et cum habitu seu insignibus associationis » (C. I. C. 701).

A) Ius ergo praecedentiae laicorum, non singulorum sed collegii est; censetur autem collegialiter interesse si saltem tres sodales, cum *habitu* seu *insignibus* associationis sub propria Cruce vel *vexillo*, coniunctim incedant (DD. 681; 710).

a) HABITUS est operimentum quo tota vel fere tota persona tegitur. INSIGNIA vero sunt aliquod signum uniforme deferendum super consuetas vestes ad significandum tales personas ad tale collegium pertinere.

b) VEXILLUM, cuius can. 701 mentionem facit, est iuxta Rituale Romanum, «vexillum sacris imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma » (Tit. IX, cap. 1, n. 5) appensum ex hastili ligneo eoque solido cui in summa parte Crux, mediocris formae, praefigatur.

c) In Processione deferri potest et Crux et vexillum nam in Rituali Romano (l. c.) dicitur: «Praeferatur Crux, et, ubi viget consuetudo, vexillum... »; quo in casu vexillum praeferatur ante Crucem.

B) Piarum associationum mulierum praecedentia in Processione non consideratur quia mulieres processionibus active participare non debent (S. C. E. E. et R. R. 26 Mart. 1897), sed si admittantur, eodem ordine praecedentiae descripto in can. 701, § 1 incedant, semper autem a virorum associationibus separatae.

153. — ORDO PRAECEDENTIAE RELIGIOSORUM IUXTA «*Annuario Pontificio* »:

CANONICI REGULARES

SACER ET APOSTOLICUS ORDO CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI
 Congregatio Canonorum Regularium SS. mi Salvatoris Lateranensis
 » » » Lateranensium Austriaca

CONGREGATIO CANONICORUM REGULARIUM Ss. Nicolai et Bernardi Montis Iovis Ordinis S. Augustini

CONGREGATIO HELVETICA A S. MAURITIO AGAUNEN.
 CANDIDUS ET CANONICUS ORDO PRAEMONSTRATENSIS
 ORDO S. CRUCIS (CRUCIGERI)

CANONICI REGULARES SANCTISSIMAE CRUCIS A STELLA RUBEA.

MONACHI

ORDO S. BENEDICTI

Benedictini Confoederati

Congregatio Cassinensis

» Anglica O. S. B.

» Hungarica

» Helvetica

» Bavarensis

» Brasiliensis

» Gallica (Solesmensis)

» Americana Cassinensis

» Beuronensis

» Helveto - Americana

» Cassinensis a primaeva observantia

» Austriaca ab Immaculata Conceptione

» Ottiliensis pro Missionibus exteris

» Belgica ab Annuntiatione B. M. V.

Benedictini Camaldulenses

Congregatio Monachorum Eremitarum Camaldulensium O. S. B.

» Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae

Benedictini Vallumbrosani

Benedictini Silvestrini

O. S. B. Montis Oliveti seu Congregatio S. M. Montis Oliveti

Benedictini Armeni

Congregatio Mechitarista Venetiarum

Benedictini Armeni Viennenses.

SACER ORDO CISTERCENSIS

Ordo Cistercensium communis observantiae

Congregatio Cistercensis S. Bernardi in Italia

Ordo Cistercensium Reformatorem seu strictioris observantiae

Congregatio Casamariensis (*sui iuris*).

ORDO CARTHUSIANORUM

ANTONIANI

Monachi Syro-Maronitae Ordinis S. Antonii Abb. Congregationis Montis

Libani

Maronitae Congregationis Baladitae

Maronitae Congregationis S. Isaiae
 Monachi Chaldaei Ord. S. Antonii Abb. Congregationis S. Hormisdæ.

ORDO S. BASILII MAGNI

Congregatio Italiae
 Ordo Basilianus S. Iosaphat
 Melchitae Congregationis SS.mi Salvatoris Montis Libani
 » » Soaritae Baladitae
 » » Aleppiensis.

ORDINES MENDICANTES

ORDO FRATRUM PRAEDICATORUM

» » MINORUM
 » » » CONVENTUALIUM
 » » » CAPUCCINORUM

TERTIUS ORDO REGULARIS S. FRANCISCI

ORDO FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI
 » RECOLLECTORUM »
 » FRATRUM EREMITARUM DISCALCEATORUM S. AUGUSTINI
 » » CARMELITARUM
 » » » DISCALCEATORUM
 » SS.MAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM
 » B. MARIAE DE MERCEDE » »
 » SERVORUM MARIAE
 » MINIMORUM
 » HOSPITALARIUS S. IOANNIS DE DEO
 » POENITENTIAE A IESU NAZARENO
 » TEUTONICUS S. MARIAE IN IERUSALEM.

CLERICI REGULARES

Ordo Clericorum Regularium vulgo Theatinorum
 Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli, Barnabitarum
 Societas Iesu
 Ordo Clericorum Regularium a Somascha
 Clerici Regulares Ministrantes infirmis
 Ordo Clericorum Regularium Minorum
 Congregatio Clericorum Regularium a Matre Dei
 Ordo Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei scholarum piarum.

CONGREGATIONES ECCLESIASTICAE

Congregatio Oratorii
 » Presbyterorum Saecularium a Doctrina Christiana
 » Piorum Operariorum
 » Oratorii Iesu, et Mariae Immaculatae

Congregatio Missionis
 Societas Presbyterorum a S. Sulpitio
 » Parisiensis Missionum ad exteras gentes
 Congregatio Clericorum excalceatorum SS.mae Crucis et Passionis
 D. N. I. C.
 » Sanctissimi Redemptoris
 » Sacrorum Cordium Iesu et Mariae nec non adorationis
 perpetuae SS.mi Sacramenti
 » S. Spiritus
 Presbyteri Missionarii Societatis Mariae
 Congregatio Oblatorum B. M. V. Immaculatae
 » » B. Mariae Virginis
 » Clericorum Saecularium Scholarum Charitatis
 Societas Presbyterorum a misericordia
 Pia Societas Missionum (Pallottini)
 Societas Mariae (Maristi)
 » » (Marianisti)
 Institutum Charitatis
 Congregatio Presbyterorum a Pretiosissimo Sanguine
 » Filiorum Mariae Immaculatae
 Missionarii a S. Francisco Salesio de Annecio
 Congregatio Missionariorum a SS. Cordibus Iesu et Mariae
 » Iesu et Mariae (Eudistarum)
 » Presbyterorum a SS. Stigmatibus D. N. I. C.
 » a S. Cruce
 Pia Societas Presbyterorum ab Assumptione. - Augustiniani ab Assumptione
 Congregatio Filiorum B. M. V. Immaculatae
 » Presbyterorum a SS.mo Sacramento
 » a Resurrectione D. N. I. C.
 » Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V.
 Societas Sacratissimi Cordis Iesu Infantis
 Institutum Iosephitarum Gerardimontensium
 Societas S. Francisci Salesii
 Pia Presbyterorum Societas ab Immaculata Virginis Mariae Conceptione
 Missionarii Sacratissimi Cordis Iesu
 Congregatio Fratrum a S. Vincentio a Paulo
 » » a Charitate vulgo « Bigi »
 Societas Presbyterorum SS.mi Cordis Iesu de Betharram
 Institutum Oblatorum S. Francisci Salesii
 Congregatio Canonicorum Regularium Immaculatae Conceptionis
 Societas Patrum S. Edmundi oblatorum S. Cordis Iesu et Immaculati
 Cordis Mariae
 Missionarii Africae
 » a « La Salette »

Filii S. Familiae, Iesu Mariae et Ioseph
 Congregatio Sacerdotum a Sacro Corde Iesu
 Pia Societas Taurinensis S. Ioseph
 Societas Lugdunensis pro Missionibus ad Afros
 Congregatio Filiorum S. Cordis Iesu
 Societas Missionariorum S. Ioseph de Mill Hill
 » » a S. Ioseph
 Congregatio Presbyterorum a S. Maria de Tinchebray
 Missionarii de Scheut
 Societas Verbi Divini
 Congregatio Filiorum S. Mariae Immaculatae
 Societas Divini Salvatoris
 Pia Societas S. Francisci Xaverii pro exteris Missionibus
 » » Missionariorum a S. Carolo pro Italis emigratis
 Congregatio Oblatorum S. Ioseph Astae Pompeiae
 Institutum Missionum a Consolata
 Congregatio Clericorum Regularium Marianorum sub titulo Immacu-
 latae Conceptionis B. mae M. V.
 » Missionariorum a S. Familia
 » Servorum a Charitate
 » parvae Missionis ad surdos-mutos
 Societas de Maryknoll pro Missionibus exteris
 » S. Columbani pro Missionibus apud Sinenses
 Institutum Pontificium a Ss. App. Petro et Paulo et a Ss. Ambrosio
 et Carolo pro Missionibus ad exteris gentes
 Societas PP. Missionariorum S. Pauli Ap.
 Societas pro Missionibus exteris Provinciae Quebecensis.

INSTITUTA RELIGIOSA

Institutum Fratrum Scholarum Christianarum
 Fratres Scholarum Christianarum
 Institutum Fratrum instructionis christianae de Ploemel
 » » B. M. V. de Misericordia
 » Parvulorum Fratrum Mariae. — Institutum Fratrum Mari-
 starum Scholarum
 Fratres Hospitalarii ab Immaculata Conceptione
 Congregatio Fratrum Cellitarum seu Alexianorum
 Fratres de Misericordia
 Fratres SS. Cordis
 Fratres Tertiarii Franciscas de Waldbrestach (Treviri)
 Institutum Fratrum instructionis christianae a S. Gabriele
 Congregatio Missionaria S. Francisci Assisiensis.

CAPUT XVII.

DE SACRAMENTIS GENERATIM

154. — « Cum omnia Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino Nostro instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est » (C. I. C. 731, § 1).

155. — « In Sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipuntur » (l. c., 733, § 1).

Propterea Episcopus, Parochus vel quivis alius ad quem Sacramentorum administratio pertinet « meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere... Ipse vero, antequam ad huiusmodi administrationem accedat, paululum, si oportunitas dabitur, orationi, et sacrae rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi et caeremonias pro temporis spatio praevidebit et perleget... Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quae ad illius formam et ministerium pertinent, *attente, distincte et pie*, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias Orationes et Preces devote ac religiose dicet; nec memoriae, quae plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro. Reliquas praeterea caeremonias ac ritus ita decenter, gravique actione peraget, ut adstantes ad caelestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat... Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint, et ea, qua par est, reverentia suscipiant » (Ex Rit. Rom. Tit. I, cap. unic., n. 3, 6, 11, 15).

156. — « Sacra olea, quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V in *Coena Domini* proxime superiore; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat.

« Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia » (C. I. C. 734).

Haec benedictio peragenda est in Missa quam ipsemet Episcopus consecrans celebrat, et quidem in Ecclesia Cathedrali, non autem private in Sacello domestico (DD. 1201; 1225; 1448; 1896; 2178 ad 1).

Quod si Episcopus ob aegritudinem ea conficere nequeat, id potest, imo debet, alteri Episcopo committere.

Si vero Oleorum benedictio ex necessitate fieri nequit in Ecclesia Cathedrali, nihilominus eorum distributio fieri debet in Cathedrali.

In Oleorum consecratione omnino servandus est Pontificale Romanum et usus ab hoc dissentientes eliminandi sunt (DD. 244; 2122).

In hac benedictione adhibendi sunt duodecim Presbyteri, septem Diaconi et septem Subdiaconi, paramentis sacris induti. Si vero Presbyterorum numerus, praeter Canonicos, sufficiens non sit ad Functionem peragendam, Canonici inservire et ministrare debent (D. 210 ad 1). Quando vero deficiunt duodecim Presbyteri, septem Diaconi et septem Subdiaconi imploranda est dispensatio ab Apostolica Sede quoties occurrat defectus tum Presbyterorum tum Ministrorum (D. 3359).

157. — « Parochus olea sacra a suo Ordinario petere debet et in Ecclesia in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter asservare; nec ea domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia » (l. c., 735).

« Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se vel alium Sacerdotem vel saltem per alium Ecclesiae Ministrum haec olea deferantur; caveat item ne de iis quidquam ulli unquam tribuat cuiusvis rei praetextu » (Rit. Rom., Tit. II, cap. I, n. 54). A pluribus Constitutionibus Synodalibus toleratur « ut a laico (numquam a muliere) gravi quidem et pio sacra olea deferantur, dummodo ea, remoto quopiam olei effundendi periculo, in capsula clausa sint » (Ex Const. Syn. Venetiarum, n. 105, § 2).

CAPUT XVIII.

DE SACRAMENTO BAPTISMI

ARTICULUS I.

De Baptismo solemniter deque privato.

158. — DE BAPTISMO SOLEMNI. — Baptismus « cum ministratur, servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris praecipuntur, appellatur *solemnis*; secus *non solemniter seu privatus* » (C. I. C. 737, § 2).

Baptismus solemniter infantibus qualibet die administrari potest et proprius administrandi locus est Baptistarium in Ecclesia vel Oratorio publico (l. c., 772; 773).

159. — « Quaelibet paroecialis Ecclesia, revocato ac reprobato quovis contrario statuto vel privilegio vel consuetudine, baptismalem habeat Fontem, salvo legitimo iure cumulativo aliis Ecclesiis iam quaesito.

« Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel iubere ut Fons baptismalis ponatur etiam in alia Ecclesia vel publico Oratorio intra paroeciae fines » (l. c., 774).

« Si ad Ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure Fontis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, Baptismus solemniter a Parocho conferri potest et debet in proxima Ecclesia aut Oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali Fonte careat » (l. c., 775).

160. — « § 1. In domibus autem privatis Baptismus solemniter administrari non debet, nisi hisce in adiunctis:

1^o Si baptizandi sint filii aut nepotes eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint;

2^o Si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit.

« § 2. In memoratis casibus Baptismus conferendus est in Sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta » (l. c., 776).

S. C. de disciplina Sacramentorum (« Romana et aliarum » die 22 Jul. 1925) declaravit « esse iuri conforme quod, si infans non versatur in periculo mortis, sed sine periculo ad Ecclesiam ad normam can. 775 transferri nequit, Ordinarius, vi can. 776, § 1, n. 2, permittere potest, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in aliquo casu extraordinario, quod domi Baptismus solemniter administratur; aestimare autem casus extraordinarii gravitatem est remissum prudentiae et conscientiae ipsius Ordinarii in singulis casibus ».

161. — « Aqua vero solemniter Baptismi sit eo anno benedicta in pervigilio Paschatis vel Pentecostes, quae in Fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur; et haec, quando nova benedicenda est, in Ecclesiae vel potius Baptistarii sacrarium effundatur.

« Si aqua benedicta in Baptistario adeo sit imminuta, ut minus videatur sufficere, alia non benedicta admisceatur, etiam iterato,

minore tamen copia. Si vero corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in Fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat...» (Rit. Rom., Tit. II, cap. I, n. 5 et 6).

162. — Formula benedictionis Fontis seu aquae baptismalis extra pervigilium Paschae et Pentecostes invenitur in Rituali Romano (Tit. II, cap. VIII); alia brevior formula invenitur in Appendice eiusdem Ritualis, alias a Paulo III pro Missionariis Peruvianis concessa, quae nonnisi in iis locis adhiberi potest ad quae speciali Apostolicae Sedis indulto extensa fuit.

163. — «Extraordinarius Baptismi sollemnis Minister est Diaconus; qui tamen sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel Parochi licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur» (C. I. C. 741).

Diaconus in administratione Baptismi sollemnis eundem servat ritum ac Sacerdos, sed uti debet «sale et aqua a Sacerdote ad hunc usum rite prius benedictis» (Rit. Rom., Tit. II, cap. II, n. 27).

164. — «Licet Baptismus conferri valide possit aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineatur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians» (Rit. Rom., Tit. II, cap. I, n. 10).

165. — DE BAPTISMO PRIVATO. — «Extra mortis periculum Baptismus privatum loci Ordinarius permittere nequit, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione baptizentur» (C. I. C. 759, § 2).

166. — Si in mortis periculo Baptismus privatim conferatur vel a Sacerdote vel a Diacono, servantur, si tempus adsit, caeremoniae quae Baptismus sequuntur.

167. — Caeremoniae autem quae in Baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quamprimum in Ecclesia suppleantur, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate, privatim baptizati fuerint ex Ordinarii loci licentia, ut supra.

ARTICULUS II.

De sollemni Baptismo adultorum.

168. — «Adultorum Baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si illi placuerit, ab eo vel ab eius delegato sollemnius conferatur; alioquin Parochus ipse baptizet stata caeremonia.

«Decet autem huiusmodi Baptismus, ex Apostolico instituto, in pervigilio Paschatis vel Pentecostes sollemniter celebrari» (Rit. Rom., Tit. II, cap. III, n. 2 et 3).

169. — «Tam Sacerdotem, qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos, qui sani sint, decet esse ieiunos.

«Nisi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim Missae sacrificio assistat et sacram Communionem percipiat.

«Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum sit) eorum Baptismus celebretur» (l. c., nn. 7 et 8).

ARTICULUS III.

De Baptisterio seu Sacello ad baptizandum.

170. — «Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quae aquam bene contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis, vel aliae sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur seu collocetur imago sancti Ioannis Christum baptizantis» (Rit. Rom., Tit. II, cap. I, n. 46).

Fons baptismalis conficiendus est convenientius ex uno lapide marmoreo formae rotundae vel formae plurium angulorum, impositus scapo aut columellis cum basi; in duas dividatur partes, quarum una aquam baptismalem contineat, altera sit vacua et in ea recipienda est aqua in baptismo adhibita et exinde in sacrarium per canaliculum effluendam.

Potest etiam confici ex cupro, ex aeneo, et in casu vas ab interiori parte illitum sit stamno fusili ne aqua aerugine inficiatur.

171. — Fons claudi debet solido operculo, sive ex ligno sive ex metallo, intus panno albi coloris contacto, sera et clave munito, convenienter ornato, quodque facile amoveri possit. In eius summitate collocatur Imago S. Ioannis Christum baptizantis, eleganti manu exculpta, nisi depicta in tabula muro appensa. Conopeum albi coloris totum operculum tegat.

Nisi pro Fonte baptismali habeatur proprium Sacellum, spatium quod circa eundem Fontem extenditur undique ferreis cancellis concludatur atque clavi obseretur.

172. — In Fonte mundo conservetur diligenter aqua pura et nitida, eo anno benedicta in pervigilio Paschatis vel Pentecostes.

173. — In solido armario parieti fixo, intus serico tegumento circumamicto et clavi obserato custodiatur:

1. Sacrum Chrisma et sanctum Oleum, quod Catechumenorum dicitur, in parvis vasis argenteis aut saltem stanneis, bene obturatis; quae vascula sint inter se (sive separata, sive etiam coniuncta) apte tamen distincta et propriam unumquodque inscriptionem habeat, maiusculis litteris incisam (S. CHR.; OL. CATECH.); in quibus, ut effusionis periculum caveatur, commodum erit, bombacium habere, Oleo sacro et Chrismate separatim perfusum, in quo pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur;

2. Sal benedictum, bene confractum et attritum, siccum ac mundum in pellicula saltem stannea;

3. Vasculum seu cochleare ex argento vel alio metallo nitidum ad aquam Baptismi fundendam super caput baptizandi, quod nulli praeterea alii usui deserviat.

174. — «...servetur semper debita mundities in Baptisterio et tota eius suppellectili et ne transformetur in vile depositoryum, in quo inordinate recondantur baldachinum processionis, castrum doloris, scamna inutilia, sellae detritae, aliaque quae vilipendium inspirent potius quam venerationem » (C. Callewaert, *Ephemer. Liturg.*, Ann. 1928, pag. 36).

CAPUT XIX.

DE CONFIRMATIONE

175. — « Sacramentum Confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta » (C. I. C. 780).

« Chrisma, in sacramento Confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a Presbytero, ex iure vel ex Apostolico indulto, ministretur.

« Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa Ministri manu capiti confirmandi rite imposita » (l. c., 781).

176. — « Ordinarius Confirmationis minister est solus Episcopus. « Extraordinarius minister est Presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit. « Hac facultate ipso iure gaudent, praeter S. R. E. Cardinales, ad normam can. 239, § 1, n. 23, Abbas vel Praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum.

« Presbyter latini ritus cui, vi indulti, haec facultas competat, Confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit » (l. c., 782, § 1, 2, 3, 4).

Simplices Sacerdotes Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrantes prae oculis habeant Instructionem editam a S. C. de disciplina Sacramentorum die festo Pentecostes anni 1934 (v. « *Acta Ap. Sedis* » an. 1935, pag. 11).

177. — Tam Episcopus in sua dioecesi, quam Presbyter gaudens indulto Apostolico, in designato territorio, hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio.

Episcopus in aliena dioecesi indiget licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis quibus Confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra (l. c., 783; 784).

178. — Sacramentum Confirmationis quovis tempore conferri potest; maxime autem decet illud administrari in hebdomada Pentecostes; et quamvis proprius eius administrationis locus Ecclesia sit, ex causa tamen, quam minister iustam ac rationabilem iudicaverit, potest hoc Sacramentum in quolibet alio decenti loco conferri (l. c. 790; 791).

179. — « Episcopus obligatione tenetur Sacramentum hoc subditis rite et rationabiliter petentibus conferendi, praesertim tempore visitationis dioecesis.

« Eadem obligatione tenetur Presbyter, privilegio apostolico donatus, erga illos quorum in favorem est concessa facultas.

« Ordinarius, legitima causa impeditus aut potestate confirmandi carens, debet, quoad fieri possit, saltem intra quodlibet quinquennium providere ut suis subditis hoc Sacramentum administretur.

« Si graviter neglexerit Sacramentum Confirmationis suis subditis per se vel per alium ministrare, servetur praescriptum can. 274, n. 4 » (l. c., 785).

CAPUT XX.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO

«Omnibus quidem Ecclesiae catholicae Sacramentis religiose, sancteque tractandis, magna ac diligens cura adhibenda est: sed praecipue in administrando, ac suscipiendo sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis fons, auctorque Christus Dominus» (Rit. Rom., Tit. IV, cap. I, n. 1).

ARTICULUS I.

De sacra Communione administranda extra Missam.

180. — Minister extraordinarius sacrae Communionis est Diaconus, de Ordinarii loci vel Parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur (C. I. C. 845, § 2).

181. — Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere. Feria tamen VI Maioris Hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre. In Sabbato Sancto sacra Communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum solemnias, vel continuo ac statim ab iis expletis.

Sacra Communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae Sacrificium offerri potest, scilicet non citius quam una hora ante auroram, vel non serius quam una hora post meridiem; sed, ex rationabili causa, ministrari potest quacumque diei aut noctis hora (Rit. Rom., Tit. IV, cap. I, n. 16; C. I. C. 867; 821, § 1).

182. — «Sacra Communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in Oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit» (C. I. C. 869).

Fideles in montanis pagis habitantes, quoties ad infirmos Sacra Eucharistia deferatur, non valentes ea die Ecclesiam petere, possunt Sacra Synaxi refici in loco sacro vel etiam, cum agatur de re tam sacra, in loco decenti et honesto, in quo Ordinarius loci ad normam C. I. C. 822 licentiam celebrandi concedere possit, nempe «iusta tantum ac rationabili de causa in aliquo extraordinario casu et per modum actus» (S. C. de disciplina Sacr. «Montis Regalis» 5 Ian. 1928). Quoniam Ordinarium loci adire haud facile semper est, Ordinarius eandem facultatem Parocho sub iisdem conditionibus delegare valebit.

«Porro pro rei gravitate et ob arctos limites quibus eadem potestas vallatur, hanc Ordinarius delegare non debet nisi delegatus ea praestet prudentia, ut delegata potestate non esse abusum praevideri liceat. Praeterea in delegationis actu probe explicare debet in quo consistat *iusta et rationabilis causa*; quinam habendus sit *casus extraordinarius*; et quomodo concessio facta in certo casu non valeat pro alio casu, eisdem quoque concurrentibus circumstantiis, sed concessio expresse renovanda erit» (In Adnot. eiusdem Respons.).

ARTICULUS II.

De sacra Communione infirmis ministranda.

183. — Ius et officium sacram Communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos extra Ecclesiam deferendi, pertinet ad Parochum intra suum territorium. Ceteri Sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem Parochi vel Ordinarii. Communionem privatim ad infirmos quilibet Sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta Sacerdotis, cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa est (C. I. C. 848; 849, § 1; Rit. R., Tit. IV, cap. IV, n. 7 et 8).

184. — Hortetur Parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiam si graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si Festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit (Rit. R., l. c., n. 3).

185. — Viaticum dari potest brevi morituris non ieiunis. Ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet (Rit. R., l. c., n. 4).

186. — Infirmi tamen qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti Confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint (Rit. R., l. c.; C. I. C. 858).

187. — S. Congregatio S. Officii die 7 Septembris 1907 declaravit «sub formula *per modum potus*, mentem quidem esse quod liceat sumere iusculum, caffeum, aliumve cibum liquidum, cui sit permixta

substantia aliqua, ex. gr. leves farinae, pastilli (italice: *semolino*) aut tenuissima frustula comminuti panis (italice: *pangrattato*), etc., dummodo quod inde coalescit, non amittat naturam cibi liquidi ».

Nomine infirmorum qui a mense decumbunt, et idcirco iuxta decretum S. C. Concilii diei 7 Decembris 1906 et C. I. C. 858, § 2 S. Eucharistiam non ieiuni sumere possunt, intelliguntur non solum infirmi qui in lecto decumbunt, sed etiam qui quamvis morbo correpti, et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt (S. C. Concilii 25 Martii 1907).

188. — In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae Communionis recipiendae praecepto tenentur. Etiam si eadem die sacra Communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens Confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet. Sacrum Viaticum quacumque diei aut noctis hora ministrari potest (Rit. R., Tit. IV, cap. IV, n. 1; C. I. C. 864; 867, § 5).

189. — Privatim seu occulte sine ullo exterioris cultus signo sacra Communio ad infirmos ne deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat, et in casu, reverentiae ac decentiae tanto Sacramento debitae sedulo consulatur, servatis a Sede Apostolica praescriptis normis (C. I. C. 847; 849, § 2; Rit. R., l. c., n. 6 et 8).

190. — S. C. de Disciplina Sacramentorum (*Romana et Aliarum — Communionis infirmorum* — die 5 Ian. 1928) declaravit iudicem causae iustae et rationabilis, prout ex Codicis iuris canonici can. 847 requiritur, ut sacra Communio privatim ad infirmos deferatur non quemlibet Sacerdotem ministrantem, sed tantum esse loci Ordinarium, addita tamen *mente* quae sequens est: « Si ex communi experientia et opinione nullum in dioecesi aut in aliquo particulari loco adsit inconueniens pro privata delatione sacrae Communionis ad infirmos, ab Ordinariis cavendum est ne per regulas nimis praefinitas aut generales praecipientes publicam delationem, vel per reservationem sibi factam dandi veniam in singulis casibus deferendi privatim Sacramentum Eucharistiae, praepediatur infirmis solatium Communionis etiam quotidianae ».

CAPUT XXI.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

191. — « Sacramentalis confessionis proprius locus est Ecclesia vel Oratorium publicum aut semi-publicum » (C. I. C. 908).

192. — Sedes confessionales ad audiendas mulierum confessiones semper collocandae sunt in loco aperto et conspicuo Ecclesiae, non autem in aliquo angulo vel parva Cappella nec in Sacristia (C. I. C. 909).

Ex solido ligno conficiantur et forma Ecclesiae architecturae conveniente; inter poenitentem et Confessarium crate fixa ac tenuiter perforata sint instructae. A parte poenitentis conveniens est ut Imago Crucifixi apponatur, a parte vero Confessarii tabella casuum, quorum absolutionem Ordinarius sibi reservaverit, ut praescriptum est a pluribus synodalibus constitutionibus.

193. — Quamvis virorum confessiones quocumque loco excipere liceat, tamen decet ut prope Sacristiam seu in alio decenti loco Ecclesiae adnexo sedes confessionales in forma cuiusdam parvae camerae instruantur, in quo adsit pro Confessario sedes et pro poenitente genuflexorium ante quod Imago Crucifixi collocatur.

194. — « Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit » (C. I. C. 910, § 1).

CAPUT XXII.

DE EXTREMA UNCTIONE

195. — Ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut, si tempus, et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebentur (Ex Rit. Rom., Tit. V, cap. I, n. 2).

« Extrema Unctio praebere non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur.

« In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit » (C. I. C. 940).

« Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc Sacramentum ministretur sub conditione » (l. c., 941).

196. — « Oleum olivarum in Sacramento Extremae Unctionis adhibendum, debet esse singulis annis Feria V in Coena Domini ad hoc benedictum ab Episcopo vel a Presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit » (l. c., 945).

« Mox, deficienti Oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia » (Rit. Rom., Tit. V, cap. I, n. 3).

197. — Oleum Infirmorum diligenter custodiatur sub clavi in Ecclesia loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo, nec Parochus illud domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia (l. c., n. 3, 4; C. I. C. 735; 946).

« Oleum porro ipsum vel per se solum, vel in bombacio seu re simili servari potest; sed ad evitandum effusionis periculum multo commodius ad infirmos defertur in bombacio » (Rit. Rom., Tit. V, cap. I, n. 5).

198. — « Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur; in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo.

« Unctio renum semper omittatur. Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest.

« Extra casum gravis necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant » (C. I. C. 947).

CAPUT XXIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS

ARTICULUS I.

De sacra Ordinatione.

199. — « Sacrae ordinationis minister ordinarius est Episcopus consecratus; extraordinarius, qui, licet caractere episcopali careat, a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi » (C. I. C. 951).

« Nemini licet ordinatum a Romano Pontifice ad altiore ordinem promovere sine Sedis Apostolicae indulto » (l. c., 952).

200. — « Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines conferre per se ipse, si necessariam ordinis potestatem habeat » (l. c., 959).

201. — « Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius, si caractere episcopali polleant, Episcopo dioecetano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem. Si episcopali caractere careant, possunt nihilominus in proprio territorio et durante tantum munere, conferre primam tonsuram et ordines minores tum propriis subditis saecularibus ad normam can. 956, tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant; ordinatio extra hos fines ab iisdem peracta irrita est » (l. c., 957).

202. — « Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio nullius, potest conferre primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit Presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit. Extra hos fines, ordinatio, ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio, est irrita, nisi ordinans caractere episcopali polleat » (l. c., 964, § 1).

203. — « In quovis conferendo ordine, minister proprios ritus in Pontificali Romano aliisque ritualibus libris ab Ecclesia probatis descriptos, adamussim servet, quos nulla ratione licet praeterire vel invertere » (l. c., 1002).

204. — « Si quis, ritu orientali ad aliquos ordines iam promotus, a Sede Apostolica indultum obtinuerit superiores ordines suscipiendi ritu latino, debet prius ritu latino recipere ordines quos ritu orientali non receperit » (C. I. C. 1004).

205. — Missa ordinationis semper debet ab ipsomet ordinationis Ministro celebrari (D. 2772; C. I. C. 1003).

« Omnes ad maiores ordines promoti obligatione tenentur sacrae communionis in ipsa ordinationis Missa recipiendae » (C. I. C. 1005).

206. — « Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum sollemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto.

« Gravi tamen causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto.

« Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis, et festis duplicibus, mane tamen.

« Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora praecedentibus paragraphis praescripta; quae servanda quoque sunt, cum Episcopus latini ritus ordinat ex apostolico indulto clericum ritus orientalis aut contra » (l. c., 1006, § 2, 3, 4, 5).

« Quoties ordinatio iteranda sit vel aliquis ritus supplendus, sive absolute sive sub conditione, id fieri potest etiam extra tempora ac secreto » (C. I. C. 1007).

207. — « In ordinationibus servantur temporum interstitia quibus promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi praescriptum, sese exercent.

« Interstitia primam tonsuram inter et ostiariatum vel inter singulos ordines minores prudenti Episcopi iudicio committuntur; acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur, quam acolythus unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio Episcopi, aliud exposcat.

« Numquam tamen, nisi de peculiari licentia Romani Pontificis, minores ordines cum subdiaconatu duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur; imo nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul » (l. c., 978).

208. — « Ordinationes generales in cathedrali Ecclesia, vocatis praesentibusque Ecclesiae Canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia adeatur.

« Non prohibetur autem Episcopus, iusta suadente causa, ordinationes particulares habere in aliis etiam Ecclesiis itemque in Oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosae domus.

« Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis Oratoriis » (l. c., 1009).

Episcopus in Sabbato Sancto ordinationem privatam habere potest in suo Sacello (DD. 2375 ad 1; 2616 ad 2; 3014 ad 2).

209. — « Ius praesentandi ad ordinationem competit Archidiacono, sive sit prima, secunda aut alia dignitas, ex Bulla Clementis VIII « Ex quo in Ecclesia Dei » quae Pontificali praeponitur, et in qua Pontificale et omnia quae in eo continentur, ab omnibus servanda praecipuntur. Si non detur Archidiaconus, eius vicem supplet ille ad quem, iuxta statuta capitularia vel iuxta consuetudinem, spectat » (De Herdt, *Praxis Pont.*, Tom. III, n. 357).

ARTICULUS II.

De Consecratione episcopali.

210. — Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum solemnias, die dominico vel natalitio Apostolorum (C. I. C. 1006, § 1) et in Ecclesia consecrata (D. 5).

« Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato » (C. I. C. 953).

211. — « Episcopus consecrator debet alios duos Episcopos adhibere, qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit » (l. c., 954).

Conveniens est ut tam Consecrator quam Electus in Episcopum praecedenti die consecrationi ieiunent (Ex Rubr. Pont. Rom.); ieiunium vero moderandum est secundum communem legem ecclesiastici ieiunii.

CAPUT XXIV.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

212. — « Extra casum necessitatis, in Matrimonii celebratione servantur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti » (C. I. C. 1100).

213. — « Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest.

« Solemnis tantum nuptiarum Benedictio vetatur a prima Dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria quarta Cinerum usque ad Dominicam Paschatis inclusive.

« Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant » (l. c., 1108).

214. — « Parochus curet ut sponsi (celebrato Matrimonio) Benedictionem solemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint in Matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.

« Solemnem Benedictionem ille tantum Sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite Matrimonio potest assistere » (l. c., 1101).

« Caveat autem Parochus, ne, quando coniuges in primis nuptiis Benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut, si hanc Benedictionem vir tantum alias obtinuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est; mulier vero vidua, cui semel Benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere, etiamsi eius vir numquam uxorem duxerit » (Rit. Rom., Tit. VII, cap. I, n. 18).

215. — De speciali indulto S. Sedis Benedictio nuptialis dari potest extra Missam, et in casu adhibenda est formula a S. R. Congregatione approbata die 11 Martii 1914, quae invenitur in Appendice Ritualis Romani.

Pariter de speciali indulto S. Sedis si sponsa sit vidua, iam in primis nuptiis benedicta, vel etiam si prima vice nubat, sed tempore clauso, expleto ritu celebrandi Matrimonii Sacramentum, Sacerdos, ad neo-coniugatos conversus, recitare potest preces, quae inveniuntur in Appendice Ritualis Romani, approbatae a S. R. Congregatione die 11 Martii 1914.

216. — Matrimonium inter catholicos celebretur in Ecclesia paroeciali; in alia autem Ecclesia vel Oratorio sive publico sive semi-publico, non nisi de licentia Ordinarii loci vel Parochi celebrari poterit.

« Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt; sed in Ecclesiis vel Oratoriis sive Seminariis sive Religiosarum, Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis.

« Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra Ecclesiam celebrentur; quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora orientur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare. Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere » (l. c., 1109, § 2 et 3; 1102, § 2).

217. — In celebratione Matrimonii inter partem catholicam et partem acatholicam, quamvis ex dispensatione in Ecclesia celebretur, non solum Missa pro Sponsis prohibetur, sed etiam alia Missa, licet privata, « si haec Missa, ex rerum adiunctis, haberi possit uti complementum caeremoniae matrimonialis » (Ex Respons. Pont. Comm. ad Cod. Can. authentice interpr., 10 Nov. 1925, n. IX).

CAPUT XXV.

DE SACRAMENTALIBUS

ARTICULUS I.

De Sacramentalibus generatim.

218. — « Sacramentalia sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales » (C. I. C. 1144).

SACRAMENTALIA, ratione obiecti, quamvis multa et maxime varia, ad duplex genus revocari possunt: *actiones et res*.

Actiones a Theologis vocantur « sacramentalia transeuntia »; effectus enim producitur immediate per aliquam actionem.

Res consecratae vel benedictae dicuntur « sacramentalia permanentia », nam in eorum usu sacramentale conficitur, nempe effectus mediate producitur.

SACRAMENTALIA TRANSEUNTIA ratione finis dividuntur in *benedictiones et exorcismos*.

219. — « Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica » (l. c., 1145).

Sapiens et provida huius canonis praescriptio est ad evitandos abusos qui facile verificari possunt in institutione et modalitate harum sacrarum actionum, si istae peculiari discretioni relinquerentur; propterea Ordinarii locorum sedulo invigilent ne in modalitate, qua Sacramentalia quaedam peragantur, ulla indecentia aut superstitionis actus detrimentum afferat sanctitati, qua res divinae tractari debent. Invigilent quoque ut cum discretionem et vero spiritu liturgico et spirituali unctione conficiantur Functiones extraliturgicae, v. g. caeremoniae quae praemittuntur distributioni primae Communionis; benedictio et impositio sacci adscriptis alicui Confraternitati, etc.

220. — « Legitimus Sacramentalium minister est Clericus, cui ad id potestas collata sit quique a competente auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eadem exercere » (l. c., 1146).

221. — « In Sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate serventur ritus ab Ecclesia probati » (l. c., 1148, § 1).

ARTICULUS II.

De Benedictionibus.

222. — BENEDICTIO ECCLESIASTICA vocatur precatio quae fit ab idoneo Ministro, nomine Ecclesiae, ut Deus aliquid boni vel sacri cuiuspiam tribuat. Ratione finis, benedictiones duplicis sunt generis: *invocativae* et *constitutivae*.

INVOCATIVAE illae appellantur benedictiones quibus Dei Benignitas invocatur, ut vel personis vel rebus aliquid boni tribuat, quin istae priorem relinquunt statum, ut benedictio infirmi, puerorum, domus, navis, etc.

CONSTITUTIVAE illae vocantur benedictiones quae sive personas sive res ita constituunt permanentes sacras, ut deinceps nec personae statum mutant, nec res in profanum usum converti possint; ut benedictio Electi in Abbatem, benedictio sacrae suppellectilis, etc.

223. — «Benedictiones autem impertire potest quilibet Presbyter, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopis aliisve reserventur» (C. I. C. 1147, § 2).

Itaque ratione Ministri benedictiones dividuntur in *reservatas* et *non reservatas*.

RESERVATAE illae vocantur benedictiones quae tantum a determinato Ministro impertiri possunt.

NON RESERVATAE illae appellantur benedictiones quae vi ordinis a quolibet Sacerdote, absque ulla delegatione, impertiri possunt.

224. — Benedictiones reservatae aliae sunt *papales* aliae *episcopales*.

PAPALES vocantur illae benedictiones quarum Minister est solus Summus Pontifex; et ex his numquam delegare solet, ut est benedictio Pallii, Rosae aureae etc.; quasdam vero Pontifex summus delegare solet Episcopis et etiam Sacerdotibus, ut benedictio super populum, benedictio Apostolica in articulo mortis, etc.

EPISCOPALES illae dicuntur benedictiones quarum Ministri sunt tantum Episcopi. Episcopis propriae sunt benedictiones reales in quibus intervenit sacra unctio, quae benedictiones proprio nomine consecrationes appellantur, et eas «nemo qui character episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur» (C. I. C. 1147, § 1).

Quod spectat ad benedictiones in quibus non adhibetur sacra unctio, hae ab Episcopo nequeunt Presbyteris delegari nisi vel a Codice I. C., vel a liturgicis Libris haec delegandi facultas exprimitur.

«Benedictio reservata quae a Presbytero detur sine necessaria licentia illicita est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit.

«Diaconi et Lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur» (l. c., 1147, § 3 et 4).

«Consecrationes ac benedictiones sive constitutivae sive invocativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta» (l. c., 1148, § 2).

«Illi soli libri adhibendi et illae tantum benedictiones, quae Rituali Romano sunt conformes» (D. 2689 ad 4).

225. — Benedictiones pro quibus deest formula ab Apostolica Sede approbata fieri debent producendo signum Crucis super rem benedicendam, proferens verba: *In nomine Patris*, etc., ac postea illam aspergendo cum aqua benedicta; attamen pro omnibus rebus adhiberi potest «*Benedictio ad omnia*» ut in Appendice Ritualis; qua formula uti nequit Sacerdos pro rebus quarum benedictionis formula reservata est, nam in rem benedicendam cadit reservatio non in formulam tantum.

226. — «Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari quoque possunt catechumenis, imo, nisi obest Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem» (C. I. C. 1149).

Catechumeni et acatholici benedici possunt in duobus tantum casibus: I. ut convertantur; II. ut sanitatem corporis recipiant, dummodo spes effulgeat circa eorum conversionem.

227. — «Res consecratae, vel benedictae constitutiva benedictione, reverenter tractentur neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio privatorum sint» (l. c., 1150).

ARTICULUS III.

De Exorcismis.

228. — «Nemo, potestate exorcizandi praeditus, exorcismos in obsessos proferre legitime potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit.

«Haec licentia ab Ordinario concedatur tantummodo Sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito; qui ad exorcismos ne procedat, nisi postquam diligenti prudentique investigatione compererit exorcizandum esse revera a daemone obsessum» (C. I. C. 1151).

Ut Sacerdos exorcizaturus suo munere recte fungatur, attente perlegat quae tradita sunt in Rituali Romano in Titulo XI, cap. I «*De exorcizandis obsessis a daemonio*».

«Exorcismi a legitimis Ministris fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos» (l. c., 1152).

229. — «Ministri exorcismorum qui occurrunt in Baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus, sunt iidem qui eorumdem sacrorum rituum legitimi Ministri sunt» (l. c., 1153).

ARTICULUS IV.

De quibusdam peculiaribus Sacramentalibus.

230. — DE BENEDICTIONE PAPALI. — «Benedictionem papalem cum Indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiri possunt Episcopi in sua quisque dioecesi bis in anno, hoc est die sollemni Paschatis Resurrectionis et alio die festo sollemni ab ipsis designando, etiamsi iidem Missae sollemni adstiterint tantum; Abbates autem vel Praelati *nullius*, Vicarii et Praefecti Apostolici, etsi episcopali dignitate careant, id possunt in suis territoriis uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus» (C. I. C. 914).

Episcopus, plures habens regendas dioeceses, in earum altera benedictionem papalem Paschati Resurrectionis adnexam, de qua in canone ut supra, iure proprio in aliam diem transferre nequit (Ex Resp. Pontif. Comm. ad authent. interpr. C. I. C., 17 Feb. 1930, III).

231. — «Regulares, qui privilegium habent impertiendi benedictionem papalem, non solum obligatione tenentur servandi formulam praescriptam, sed hoc privilegio uti nequeunt, nisi in suis Ecclesiis et in Ecclesiis Monialium vel Tertiariorum suo Ordini legitime aggregatorum; non autem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiat» (C. I. C. 915).

232. — DE BENEDICTIONE APOSTOLICA IN ARTICULO MORTIS. — «Parocho aliive Sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat» (C. I. C. 468, § 2).

233. — DE BENEDICTIONE ABBATIS. — Benedictio Abbatis impertienda est intra Missarum solemnias convenientius die dominico vel festivo (D. 3162 ad 8) ab Episcopo quem Electus, si Abbas vel Praelatus *nullius*, maluerit (C. I. C. 322, § 2).

Si Electus sit Abbas regularis de regimine (C. I. C. 625), tunc benedictionem recipere debet ab Episcopo Dioecesis in qua Monasterium situm est; si vero sit Abbas Ordinis S. Benedicti vide quae diximus sub n. 147.

Benedictio Abbatis vel Praelati *nullius* tantummodo est necessaria cum vel iure speciali vel ex Mandato Apostolico facienda praecipitur, non vero ex iure communi (l. c., 322, § 2).

Conveniens est ut tam Episcopus benedicens quam Electus praecedenti die benedictioni ieiunent (Ex Rubr. Pont. Rom.).

Benedictio abbatialis in Pontificali Romano non immutetur, sed quoad Praelatos saeculares recurrendum est ad S. Rituum Congregationem, quae in singulis casibus respondebit, formulam accommodando casibus ipsis, demptis quae praefatis saecularibus minime convenire noscuntur (D. 3905).

234. — DE BENEDICTIONE ABBATISSAE. — «Electa in Abbatisam et confirmata benedici debet in die dominico, vel aliis quibus consecrantur Virgines, si non est prius consecrata et velata; alioquin fieri potest quolibet die» (Ex Pont. Rom. «*De benedict. Abbatissae*»).

235. — DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM. — «Benedictio et consecratio Virginum fieri debet in Epiphania Domini, vel in Albis Paschalibus aut in Natalitiis Apostolorum, seu in Dominicis diebus» (Ex Pont. Rom. «*De benedictione et consecratione Virginum*»).

DE BENEDICTIONE LOCI SACRI, DE ECCLESIAE CONSECRATIONE VEL BENEDICTIONE, DE CONSECRATIONE ALTARIS, DE BENEDICTIONE ORATORII, COEMETERII, CAMPANAE, DE CONSECRATIONE DEQUE BENEDICTIONE SUPPLEMENTILIS SACRAE dicemus infra in respectivis Capitibus.

CAPUT XXVI.

DE DIVINI OFFICII CHORALI RECITATIONE

ARTICULUS I.

De Divino Officio generatim.

236. — OFFICIUM DIVINUM definiri potest: certa orandi forma ab Ecclesia instituta, et ordinata ad laudandum et deprecandum Deum quotidie, determinatis horis, per suos Ministros in persona totius fidelis populi.

Cum Divinum Officium sit Oratio totius populi fidelis, ex natura suae institutionis est ORATIO PUBLICA et ideo persolvenda in Ecclesia, sed obligatio haec afficit tantum Canonicorum Capitula et Religiones sive virorum sive mulierum quibus est obligatio Chori iuxta sequentes canones:

« Quodlibet Capitulum obligatione tenetur quotidie divina Officia in Choro rite persolvendi, salvis foundationis legibus » (C. I. C. 413, § 1).

« In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est Chori obligatio, in singulis domibus ubi quatuor saltem sint Religiosi Choro obligati et actu legitime non impediti, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum quotidie divinum Officium communiter persolvi » (l. c., 610, § 1).

237. — Qui chorale beneficium obtinent et Religiosi utriuslibet sexus ad Chorum ex suo instituto deputati, tenentur si a Choro abfuerint, privatim divinum Officium recitare, sicut tenentur Clerici omnes in maioribus Ordinibus constituti (l. c., 610, § 3; 1475, § 1; 135).

Obligatio haec incipit ab Hora canonica recepti primi ordinis maioris; pro Religiosis vero in maioribus Ordinibus non constitutis ab Hora canonica correspondente momento a quo professio emittitur.

238. — « Divinum Officium comprehendit psalmodiam Horarum canonicarum et celebrationem cum cantu Missae conventualis, praeter alias Missas vel secundum rubricas Missalis vel ex piis foundationibus celebrandas » (l. c., 413, § 2).

239. — Horae canonicae quotidianae septem sunt nempe: Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, Completorium.

Quae canonicae Horae correspondent sequentibus horis naturalibus: Matutinum, mediae nocti; Laudes, aurorae; Prima, ortui solis; Tertia, horae nonae ante meridiem; Sexta, meridiei; Nona, horae tertiae post meridiem; Vesperae occasui solis; Completorium, nocti incipienti.

ARTICULUS II.

De tempore et loco publicae Divini Officii recitationis.

240. — Tempus recitandi in Choro Matutinum cum Laudibus est hodie et *regulariter* de nocte vel mane. Dictum est: *regulariter*, nam de iure excipiuntur tres ultimi dies Maioris Hebdomadae, in quibus pridie Officium recitari potest (Caer. Episc., L. 2, cap. 22, n. 3 et 17) et dies Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum

« ut populi commodius et frequentius illi interesse possint » (l. c., cap. 10, n. 1; D. 3864 ad 1).

241. — Insuper ut Christifideles Indulgentias assistentiae et recitationi divini Officii quibusdam anni Festis annexas lucrari valeant, ad hunc finem quoque, vi indulti S. Sedis, anticipari potest in sero Matutinum cum Laudibus. Huiusmodi Festa sunt: 1. Solemnitas Corporis Christi et tota Octava; 2. Festum Sacratissimi Cordis Iesu; 3. Festum SS. Nominis Iesu; 4. Festum Transfigurationis D. N. I. C.; 5. Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. et tota Octava; 6. Festum Visitationis B. V. M.

Ceteris diebus non licet in Choro, sine speciali indulto Apostolicae Sedis, recitare Matutinum cum Laudibus pro die sequenti post Completorium, non obstante causa non levi et consuetudine in contrario, et id manifeste constat ex pluribus Decretis S. R. C. (DD. 64; 67; 71; 1358 ad 1; 2331 ad 10; 4158 ad 2); nec licet in Choro Matutinum seiungere a Laudibus, nempe Matutinum recitare pridie et Laudes summo mane (D. 3241 ad postul.).

In Nativitate Domini Laudes dicuntur post primam Missam (Rubr. spec. Brev. Rom.).

242. — HORAE MINORES dicuntur in Choro:

PRIMA: 1. Ante secundam Missam in die Nativitatis Domini; 2. ante Missam Defunctorum celebratam loco Missae de Officio diei; 3. ante Missas votivas pro re non gravi, quae ex pia foundatione vel ex alia obligatione celebrantur.

TERTIA: 1. Ante Missam Festi duplicis et semiduplicis; 2. ante Missam Dominicae, etiam anticipatae vel repositae; 3. ante tertiam Missam in die Nativitatis Domini; 4. ante Missas infra Octavas; 5. ante Missam de Vigilia Nativitatis Domini, si in Dominica occurrat; 6. ante Missam de Vigilia Epiphaniae, quae omnibus privilegiis Dominicae gaudet.

SEXTA: 1. Ante Missam de Feria communi per annum; 2. ante Missam Festi simplicis; 3. ante Missam de Vigilia Ascensionis; 4. ante Missas votivas quae celebrantur loco Missae de Feria communi.

NONA: 1. Ante Missam Feriarum Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, etiam infra Octavam Pentecostes; 2. ante Missam Rogationum; 3. ante Missam omnium Vigiliarum, excepta Vigilia Nativitatis Domini, si in Dominica occurrat, et Vigilia Epiphaniae; 4. ante Missam votivam pro re gravi et publica simul causa; 5. ante Missam in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum; 6. ante Missam in die depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo aut Anniversario solemniter in quo fit concursus populi.

243. — VESPERAE: post meridiem hora competenti recitentur, excepto tempore Quadragesimae, quo a primo Sabbato tam in Festis quam in Feriis, exceptis Dominicis, ante comestionem dicendae sunt (Rubr. spec. Brev. Rom. ante Dom. I Quadr.).

244. — COMPLETORIUM ordinarie dicendum est sero, et quamvis possit uniri Vesperis, nunquam tamen ante meridiem recitari potest.

245. — Recitatio publica seu choralis Officii divini fieri debet in Choro Ecclesiae vel in ipsa Ecclesia; nec Ordinarius loci permittere potest Choralibus ut alibi, ne in Sacristia quidem nisi agatur de tribus anni frigidioribus mensibus, in quibus toleratur diebus feriabilibus, ut Matutinum in Sacristia persolvatur (S. C. EE. 12 Ian. 1604; 16 Sept. 1861).

Religiosi quibus Chori obligatio est, recitationem divini Officii persolvere nequeunt in Sacristia vel in Oratorio privato Conventus, nisi haec loca, aperto muro vel accessu, iungantur Ecclesiae, et Ordinarius loci, tanquam Apostolicae Sedis Delegatus, ea loca, decentia ac cum Ecclesia communicantia recognoverit (D. 3506).

246. — Divini Officii recitatio, tam choralis quam privata, oportet ut sit *DISTINCTA, INTEGRATA, ORDINATA* et *CONTINUA*.

DISTINCTA: absque ulla syncope et mutilatione verborum vel syllabarum; *INTEGRATA*: ut nulla etiam minima pars omittatur, nil addito, nil mutato; *ORDINATA*: scilicet servato ordine partium eiusdem Horae, et Horarum, inter se, iuxta leges et ordinem Breviarii; *CONTINUA*: idest sine interruptione, ita ut quaelibet Hora canonica numquam interrumpi possit in choralis recitatione; etiam in privata recitatione non admittitur interruptio, nisi rationabili de causa.

247. — Tam in choralis quam in privata divini Officii recitatione adamussim servandae sunt Breviarii Rubricae, quae sicut omnes ecclesiasticae leges plus minusve obligant, exceptis caeremoniis quoad modum standi, sedendi, genuflectendi etc. quae tantum in choralis recitatione obligant.

Recitandum est Officium proprium currentis diei iuxta Breviarium et Calendarium ab Apostolica Sede approbata.

248. — « Omnes et singuli qui chorale beneficium obtinent, tenentur in Choro divina Officia persolvere singulis diebus, nisi servitium per turnum a Sede Apostolica aut foundationis legibus fuerit indultum » (C. I. C. 414).

Vi huius canonis omnes Beneficarii, Choro adstricti, tenentur etiam in loco Capituli residere et in Choro horis quibus divinum Officium persolvitur.

ARTICULUS III.

De causis excusantibus a Chori servitio.

249. — « Reprobata contraria consuetudine, Canonici ac Beneficarii quotidiano Choro adstricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos, dummodo propriae Ecclesiae statuta aut legitima consuetudo servitium diuturnius non requirant.

« Sine causa legitima et speciali Episcopi licentia nec feriari licet Quadragesimae et Adventus tempore, aut in praecipuis anni solemnitatibus de quibus in canone 338, § 3 (1); nec permittitur uno eodemque tempore Capitulares ultra tertiam partem abesse » (C. I. C. 418, § 1 et 2).

250. — « Tempore vacationum omne genus distributiones amittuntur, non obstante remissione ab aliis Capitularibus facta; sed percipiuntur praebendae proventus aut duae tertiae distributionum partes, si omnes praebendae proventus in distributionibus consistant » (l. c., § 3).

251. — Tempus vacationum sicut et tempus servitii choralis computatur per integras dies non vero per canonicas Horas, ita ut qui assistunt uni vel aliquibus Horis sint tota die absentes, et ideo non amittunt fructus totius diei, sed Horarum a quibus abfuerunt.

252. — « In Ecclesiis in quibus non omnes simul Choro intersunt, qui ad eum adstringuntur nequeunt per alium huic obligationi satisfacere, nisi in casibus particularibus, iusta ac rationabili de causa, et modo substitutus eodem tempore servitio Chori non sit adstrictus, et sit in eadem Ecclesia Canonicus, si agatur de supplenda vice Canonici, Beneficarius si de Beneficarii; qui vero ad Chorum non adstringuntur, obligatione residendi in loco beneficii non tenentur per dies quibus a Choro absunt » (l. c., 419, § 1).

253. — DE CAUSIS EXCUSANTIBUS CAPITULARES A SERVITIO CHORI.

— Causae excusantes a servitio Chori triplicis generis sunt:

I. — Quae excusant cum iure excusatorum ad praebendas, ad ordinarias distributiones et etiam ad distributiones inter praesentes, nisi obstet fundatorum expressa voluntas. Taliter excusantur:

1. Capitulares iubilati (l. c., 420, § 1, 1^o);
2. Qui, semel tantum in anno, in pia aliqua religiosa domo ab Ordinario designata piis exercitiis vacant (l. c., 7^o);
3. Qui Episcopo solemniter Missam celebranti aut alia ponti-

(1) Nativitas et Resurrectio Domini, Pentecostes et Festum Corporis Christi.

ficalia exercenti in Ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, assistunt (*l. c.*, 11°);

4. Qui operam navant conficiendis processibus in causis canonizationis et beatificationis, vel uti testes in his causis vocati sunt, pro diebus et horis quibus hoc officium praestant (*l. c.*, 13°);

5. Qui de Ordinarii consensu se conferunt ad Conventum Eucharisticum internationalem, nationalem, regionalem vel dioecesanum, a primo die Conventus ad posteriorem integrum, si in eodem Conventus loco resideant, sin aliter a die profectionis ad reditus diem (Ex Litt. Apost. Pii Pp. XI diei 7 Mart. 1924);

6. Qui de iussu vel consensu Ordinarii, in loco Conventus residentes, pro diebus et horis tantum in quibus addicti sunt pro apparando Conventui; qui vero extra locum resident, pro omnibus iis diebus, quibus eadem de causa Conventus apparatus, abesse a loco beneficii debent (*l. c.*).

II. — Quae excusant cum iure excusatorum ad praebendas et ad distributiones ordinarias. Taliter excusantur:

1. Canonicus theologus singulis diebus quibus suo munere fungitur, sive sacram Scripturam explanando sive alia doctrinae catholicae argumenta explicando, sive quando ex Episcopi commissione, loco lectionum in Ecclesia, sacras disciplinas in Seminario docet (C. I. C. 420, § 1, 2°);

2. Canonicus poenitentiarius dum tempore Chori vacat confessionibus audiendis (*l. c.*, 3°);

3. Vicarius paroecialis aliusve e Capitulo sive Parochus sive Coadiutor ab Episcopo deputatus, dum paroecialibus vacat officiis (*l. c.*, 4°);

4. Qui infirmitate aliove physico impedimento Choro prohibentur assistere (*l. c.*, 5°);

5. Qui pontificia legatione alibi funguntur aut personae Romani Pontificis actu inserviunt (*l. c.*, 6°).

Exceptione hac comprehenduntur Cappellani sive Clerici secreti actu inservientes personae Romani Pontificis (Ex Resp. Pont. Comm. ad interp. C. I. C., 20 Maii 1923);

6. Accedentes una cum Episcopo aut eiusdem vice ad visitanda Limina Apostolorum (*l. c.*, 8°);

7. Qui ab Episcopo vel a Capitulo mittuntur ad Concilium Oecumenicum, plenarium, provinciale aut ad Synodum dioecesanam (*l. c.*, 9°);

8. Qui de Capituli consensu, non contradicente Episcopo, absunt a Choro ob Capituli seu propriae Ecclesiae utilitatem (*l. c.*, 10°);

9. Qui Episcopum comitantur in visitatione dioecesis vel visitationem ipsam eius nomine et mandato peragunt (*l. c.*, 12°);

10. Parochi Consultores, Examinatores et Iudices synodales, dum proprio munere funguntur (*l. c.*, 14°).

III. — Quae excusant cum iure excusatorum percipiendi tantum fructus praebendae. Taliter excusantur:

1. Qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis sacram theologiam aut ius canonicum (*l. c.*, 421, § 1, 1°).

«*Sacra theologia*» aut «*ius canonicum*» late hic interpretanda sunt, ita ut omnes materias in scholis theologicis addiscendas comprehendant.

Hac exceptione comprehenduntur etiam Capitulares qui, de Ordinarii licentia, docent retributione peculiari percepta (Ex Resp. Pont. Comm. ad interp. C. I. C., 24 Nov. 1920);

2. Qui de Ordinarii licentia operam dant studio sacrae theologiae aut iuris canonici in publicis scholis ab Ecclesia probatis (C. I. C. 421, § 1, 2°).

Etiam hic verba «*sacrae theologiae et iuris canonici*», ut supra, late interpretanda sunt;

3. Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis, Officialis ac Cancellarius, si de gremio sint, dum suis muneribus vacant (*l. c.*, 3°);

4. Canonici qui Episcopo in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistunt (*l. c.*, 4°).

«*Quod si omnes praebendae fructus consistant in distributionibus, vel adeo sint tenues ut tertiam distributionum partem non attingant, tunc memorati omnes duas tantum tertias partes distributionum lucrantur, cumulas ex fructibus praebendae ac distributionibus*» (*l. c.*, 421, § 2).

254. — DE CAUSIS EXCUSANTIBUS RELIGIOSOS A SERVITIO CHORI.

— Obligatio choralis pro Religiosis est *localis et realis*, non vero *personalis*, nam afficit singulas domus ubi quatuor Religiosi non impediti adsunt; est etiam *divisibilis*, quam ob rem si ad aliquam Horam recitandam numerus necessarius non impeditorum non habeatur, habeatur vero ad alias recitandas Horas, obligatio choralis cessat pro primo casu, non pro altero.

Superior potest et debet singulis Religiosis non impeditis praecipere ut Choro intersint, et Religiosi, Superiori, si id praeceperit, obedire tenentur.

Generatim impedimenta quae a Choro excusant, a constitutionibus et a consuetudinibus statuuntur.

ARTICULUS IV.

De Chori Praefecto.

255. — « Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, Dignitatibus et Canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est:..... praescribere et ordinare quae ad Chori directionem referantur... » (C. I. C. 397).

Dicitur in allato canone « *nisi aliud in statutis capitularibus caveatur* » quia munus hoc pertinere potest ad Canonicum qui Praefectus seu Chori Magister vocari solet et constituitur ad normam capitularium constitutionum.

256. — Chori Praefectus prae oculis habeat quae Caeremoniale Episcoporum, S. R. Congregationis Decreta, privilegia et laudabiles consuetudines Ecclesiae capitularis decernunt circa Chori servitium et disciplinam, nam ad eius munus spectat dirigere Chorum, dare signum Officium incipiendi, et licentiam a Choro discedendi concedere, absente Episcopo Ordinario. Ad eius quoque officium spectat ut infra Chorum silentium observetur, et disciplina psallendi quoad rectam elocutionem, debitam pausam in medio Versuum, concordiam concinentium, etc., exacte servetur.

Ad Chori Praefectum pertinet etiam tempestive praevidere quae singulis diebus in Choro facienda sunt, ut suo tempore conficiat tabellam designativam Officii celebrandi, Hebdomadarii, aliorum Ministrorum eorumque functionum explendarum.

Chori Praefectus corrigere debet oretenus defectus qui in Choro committuntur, sed numquam per edictum monere et corrigere eos qui in errore versantur (D. 1974 ad 1).

257. — Si Praefectus a Choro absit tunc praefata munera ad digniorem praesentem in Choro spectant, nisi forte alia ratione Capituli constitutiones decernant, vel alia sit Ecclesiae consuetudo (Caer. Episc., L. 1, cap. 5, n. 4; DD. 939; 1619 ad 3 et 4; 1882; 1906 ad 1, 2 et 5; 1924 ad 1 et 5; 1933 ad 3; 1976; 3110 ad 23).

CAPUT XXVII.

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO

« Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fa-

temur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur » (Conc. Trid., Sess. XXII, Decr. « *De observ. et evitand. in cel. Miss.* »).

Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adjuvat, Defunctis requiem praestat et se omnium bonorum participem efficit (De Imit. Christi, Lib. IV, cap. V).

ARTICULUS I.

De Missae Celebrante.

258. — « Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum; curet autem Episcopus vel Superior religiosus ut iidem saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praeepto divinis operentur » (C. I. C. 805).

259. — « Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, non licet Sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario.

« Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam Sacerdotum die festo de praeepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem Sacerdoti permittere » (C. I. C. 806).

260. — Sacerdos, veste quae ad talos pertingat, indutus, praeparet se, praemissa si opus fuerit sacramentali confessione, priusquam sacra paramenta induat, opportunis precibus (l. c., 811, § 1, 807; 810); caveat, maxime sacris indutus paramentis, ne cum praesentibus colloquatur, nec aures ad alios colloquentes admoveat in Sacrario, a quo omnes clamores ac omnes inanes fabulationes abesse omnino decet.

Caveat quoque Sacerdos in sacro perficiendo a nimia simul festinatione atque tarditate nempe, ut nec adstantibus taedium nec sacris caeremoniis offensam et perturbationem afferat.

261. — « Ne ma'la consuetudine aliqui defectus in celebrando inolescant, Sacerdotes in Domino rogamus, ut saltem aliquando, ac

praecipue dum spiritualibus exercitiis dant operam, ritus ac rubricas Missalis diligenter percurrant» (Ex Decr. Concl. Prov. Veneti secundi n. 193).

262. — «Sacerdos Missam ne celebret sine Ministro qui eidem inserviat et respondeat» (C. I. C. 813, § 1).

Deficiente idoneo Ministro, Sacerdos uti potest mulieris ministerio, pro responsis tantum, sed a longe et omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad Sacrificium occurrere possunt, ita ut nullatenus mulier ad Altare accedat (DD. 2745 ad 8; 4015 ad 6; C. I. C. 813, § 2).

Si ex indulto apostolico vel ex vera necessitate Sacerdos sine Ministro celebret, semel tantum dicit: *Confiteor Deo*, etc. (D. 3368 ad 1).

263. — «Sacerdos extraneus Ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet, cur a Missae celebratione repelli debeat.

«Si iis litteris careat, sed Rectori Ecclesiae de eius probitate apprime constet, poterit admitti; si vero Rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab Ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro signet.

«Peculiares hac de re normae, salvis huius canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae, servandae sunt ab omnibus, etiam Religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis ad celebrandum Religiosis in Ecclesia suae religionis» (C. I. C. 804).

«Parochi et Rectores Ecclesiarum in sua quisque Ecclesia ad celebrandum Missae Sacrificium Sacerdotes ne admittant nisi sint, iuxta praescriptum canonis 804, § 2, ecclesiastica veste induti, veste nempe de qua in canone 811, § 1» (Ex Decr. S. C. Concilii die 28 Iulii 1931).

ARTICULUS II.

De materia pro sacrosancto Missae Sacrificio.

264. — «Sacrosanctum Missae sacrificium offerri debet ex pane et vino, cui modicissima aqua miscenda est» (C. I. C. 814).

«Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis. Vinum debet esse naturale de genimine vitis, et non corruptum» (l. c., 815).

«In Missae celebratione Sacerdos, secundum proprium ritum, debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicunque Sacrum litet» (l. c. 816).

265. — Summa et exquisita diligentia adhibenda est ut materia huius Sacrificii valida et licita sit. Cum nostris hisce temporibus farinas et vinum adulterandi eo usque industria creverit ut vel ab ipsis chimices peritis saepe difficile sit huiusmodi fraudes agnoscere et mercatores callidis hisce artibus fere omnes abripiantur, S. Congregatio de disciplina Sacramentorum normas praebere studuit respicientes etiam materiam qua sanctum Sacrificium conficitur.

«Curent proinde (Ordinarii) ne in singulis dioecesibus vel civitatibus aut oppidis, pro natura locorum, idoneae desint personae, omnique suspicione maiores, praesertim Religiosi utriusque sexus sodales, a quibus Ecclesiarum Rectores utramque Sacrificii et Eucharistici Sacramenti materiam, nisi apud se habeant, comparare possint, tuta conscientia adhibendam.

«Item circa ea quae hostiarum confectionem spectant, iidem Rectores advigilare debent, ne in istis fragmenta facile haerentia maneat, efficiantque ut, antequam Missa litetur, caute ac sedulo ea amoveantur, et saltem cribro leviter excutiantur, si ingens hostiarum numerus parandus erit.

«Pervigilem adhibeant ipsi curam ut hostiae nonnisi recenter confectae consecrentur, et sacrae particulae, in pyxide adservatae, frequenter renoventur (C. I. C. 1272 et Rit. Rom., Tit. IV, cap. I, n. 7)». (Ex Instruct. S. C. de discipl. Sacr. die 26 Mart. 1929, n. 2, 3 et 4).

266. — Circa sacrarum particularum renovationem S. Carolus (Concl. Provinc. IV in Instr. de Euch. Sacr.) statuit «Ut octavo quoque die renovetur Eucharistia et quidem ex hostiis non ante viginti dies ad summum confectis».

267. — In hostia Sacrificii impressa sit Imago Crucifixi iuxta consuetudinem (D. 2714). Hostiae et particulae custoditae sint in armario clavi obserato.

Circa hostiae dimensionem nulla praescriptio adest; ex consuetudine pro Missa et expositione solemni adhibentur hostiae magnae.

268. — Per se idem est, sive vinum sit album sive rubrum, sed vino albo congruentius utendum est quam rubro ad vitandam linteorum maculationem.

Vinum caute custoditum sit in loco clavi clauso.

ARTICULUS III.

De tempore et loco Missae celebrandae.

269. — « Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis qui proprio Sacerdotis ritu excluduntur » (C. I. C. 820).

270. — « Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem.

« In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto » (l. c., 821, § 1 et 2).

271. — A S. C. de Disciplina Sacramentorum in triduanis supplicationibus ad honorem SS. Sacramenti, occasione sacrarum missionum, in aliqua alia extraordinaria solemnitate (quoad Conventus Eucharisticos, iam provisum v. sub n. 468) gratia concedi poterit Missam litandi media nocte sub sequentibus conditionibus:

- 1) tantummodo in casibus extraordinariis;
- 2) initium Missae celebrandae ne fiat ante dimidiam horam post mediam noctem;
- 3) sacrae supplicationes (vulgo: «sacre veglie») perdurent spatio circiter trium horarum;
- 4) remoto semper quocumque irreverentiae periculo (Ex Decr. S. C. de Discipl. Sacr. die 22 April. 1924).

272. — Missa celebranda est super Altare consecratum et in Ecclesia vel Oratorio publico vel semi-publico consecrato aut benedicto ad normam iuris (C. I. C. 822, § 1) et etiam in Oratorio domestico ex indulto apostolico.

273. — « Privilegium Altaris portatilis vel iure vel indulto Sedis tantum Apostolicae conceditur.

« Hoc privilegium ita intelligendum est, ut secumferat facultatem ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem in mari » (l. c., § 2 et 3).

274. — « Loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam celebrandi extra Ecclesiam et Oratorium super petram sacram et decenti loco, nunquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus » (l. c., § 4).

S. Congreg. de disciplina Sacrament., per litteras ad Reverendissimos Ordinarios Italiae diei 26 Iulii 1924, declarat Ordinarios non posse concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam et Oratorium prae-

sertim occasione profanae commemorationis vel festi civilis; in huiusmodi casibus recurrendum est ad S. C. de disciplina Sacramentorum.

275. — Ordinarius potest permittere non plus quam trium Missarum celebrationem domi, praesente cadavere, in loco vulgo «camera ardente» tantum in aliquo extraordinario casu scilicet occasione obitus personae e principe familia, aut aliter insignis ob merita et beneficia in Ecclesiam vel in rempublicam vel ob munificentissimas elargitiones in pauperes et egenos itemque personae huiusmodi privilegio apostolico iam ornatae; dummodo:

1^o cadaveris expositio fiat servato debito decore, ac in eodem loco nihil adsit quod sit alienum a sanctitate divini Sacrificii;

2^o semper debitae exequiae expleantur in Ecclesia (Ex S. C. de discipl. Sacr. 3 Maii 1926).

Circa privilegium celebrandi Missas dum corpus Episcopi Dioecisani, vel Titularis, vel Vicarii Apostolici etc. dicemus in Parte quinta Cap. «De obitu Episcopi Ordinarii».

Facultas celebrandi in domo privata Missam, ad normam can. 822, § 4, interpretanda est restrictive (Ex respon. Pont. Comm. ad interpr. Cod., 16 Oct. 1919).

276. — « Non licet celebrare Missam in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato aut benedicto.

« Deficiente Altari proprii ritus, Sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in Altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum *antimensiis*.

« In Altaribus papalibus nemo celebret sine apostolico indulto » (C. I. C. 823).

ARTICULUS IV.

De Missa solemni deque Missa cantata.

277. — MISSA SOLEMNIS ea est quae cum sacris Ministris, cantu, thurificatione, pacis osculo et aliis caeremoniis a Rubricis praescriptis celebratur.

278. — Plures Missae solemnes de eodem Officio eodemque Mystero in eadem Ecclesia eodemque die celebrari non possunt, si aliquam cum Officio diei relationem habeant. Quapropter si praeter Missam conventualem, alias Missas vel ex fundatione vel ex fidelium petitione cantare contigerit, eas non nisi ante vel post absolutum Officium chorale et absque ulla cum eo connexione celebrare licet (D. 3921).

279. — In Missa solemnem semper adhibendi sunt Ministri sacri, scilicet Diaconus et Subdiaconus. Usus celebrandi Missam solemnem cum solo Diacono vel Subdiacono, quum praesto non sit aliquis Ministrorum, tolerari nequit (D. 3104 ad 2).

Deficiente tamen Subdiacono, et dum non adest vel Sacerdos vel Clericus in maioribus Ordinibus constitutus, potest alius in minoribus Ordinibus vel saltem clericali tonsura initiatus, paratus absque manipulo, si adsit rationabilis causa, officia Subdiaconi fungi in Missa solemnem (D. 4181 ad 1).

280. — MISSA CANTATA medium tenet inter privatam et solemnem: a privata distinguitur quia cantatur; a solemnem quia sine Diacono et Subdiacono celebratur et in ea incensum, absque Indulto Apostolico, etsi coram SS. Sacramento, adhiberi nequit, non obstante immemorabili consuetudine in contrarium (DD. 937 ad 3; 2515 ad 8; 3328 ad 1; 3611 ad 6).

ARTICULUS V.

De Missa pontificali deque Missa solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii.

281. — MISSA PONTIFICALIS ea dicitur quae solemnem ab Episcopis celebratur, vel a Praelatis caractere episcopali non insignitis, sive ex iure sive ex privilegio, canitur ritu pontificali.

MISSA PONTIFICALIS distinguitur in *Missam pontificalem solemnem* et *Missam pontificalem non solemnem*.

MISSA PONTIFICALIS SOLEMNIS ea dicitur quae cum sacris Ministris, cantu, thurificatione, pacis osculo et aliis caeremoniis a Caeremoniali Episcoporum praescriptis celebratur.

MISSA PONTIFICALIS NON SOLEMNIS SEU LECTA vocatur Missa pontificalis quae ab Episcopo celebratur in collatione sacrarum Ordinum, vel in consecratione Episcopi, vel in benedictione Abbatis privatim habita, et Missa haec absque Ministris sacris, sine cantu, sine thurificatione celebratur, sed osculum pacis Celebrans dat primo ex Ordinatis vel Episcopo consecrato item Abbati benedicto.

MISSA SOLEMNIS PONTIFICALIS dicitur AD THRONUM vel AD FALDISTORIUM prout Celebrans sedet in Throno vel in Faldistorio.

MISSAM PONTIFICALEM AD THRONUM celebrare possunt S. R. E. Cardinales ubique; Patriarchae, Primate, Metropolitae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates et Praelati nullius intra sui territorii fines; Abbates regulares de regimine in Ecclesiis suae iurisdictionis.

Extra fines sui territorii qui caractere episcopali praefulgent Missam pontificalem ad Thronum celebrare possunt de consensu saltem rationabiliter praesumpto Ordinarii loci; ceteri Praelati vero ad Faldistorium.

282. — MISSA SOLEMNIS CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ea dicitur quae solemnem canitur coram S. R. E. Cardinali, Legato Apostolicae Sedis, Patriarcha, Primate, Metropolita, Episcopo Ordinario in eorum residentibus vel locis iurisdictionis, non exclusis Ecclesiis regularibus (D. 1538 ad 2).

Episcopus Titularis nequit solemnem assistere Missae ut Episcopus Ordinarius (D. 3798 ad 1).

CAPUT XXVIII.

DE MISSA CONVENTUALI

ARTICULUS I.

De Missa Conventuali generatim.

283. — Missa Conventualis est Officii divini pars, nam « Divinum Officium comprehendit psalmodiam Horarum canonicarum et celebrationem cum cantu Missae Conventualis, praeter alias Missas vel secundum Rubricas Missalis vel ex piis foundationibus celebrandas » (C. I. C. 413, § 2).

« In Ecclesiis in quibus adest obligatio Chori, una tantum Missa cum assistentia Choralium semper celebretur et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricae disponant. Aliae Missae extra Chorum legantur, post propriam Horam canonicam » (Rubr. ad normam Bullae « Divino afflatu », Tit. XII).

Ergo Missa Conventualis definitur: Missa quae quotidie celebratur in Ecclesiis ubi adest Chori obligatio, cum vel sine Choralium assistentia, hora praescripta et iuxta ordinem et modum Rubricarum.

Missa autem quae extra Chorum celebratur non est vere Missa Conventualis, sed dici poterit aequiparata et, quoad aliquos effectus assequendos, aequipollens Missae Conventuali.

Missa Conventualis quotidie celebranda est cum cantu in Ecclesiis Cathedralibus et Collegialibus (C. I. C. 413, § 2; D. 552) et applicanda est pro benefactoribus in genere (C. I. C. 417, § 1).

In Ecclesiis Religiosorum quibus est obligatio Chori, Missa Conventualis sine cantu celebrari potest, nisi aliunde obligatio

oriatur, et ex iure communi non necessario applicanda est pro benefactoribus; haec Missa ut sollemnis considerari debet, sive quoad omittendam Commemorationem simplicis et reticendas Collectas ab Ordinario loci praescriptas sive quoad praetermittendas Preces post Missam iniunctas (DD. 2740 ad 7; 3697 ad 7; 3757; 4177 ad 2).

284. — « Capitularis infirmitate detentus non tenetur eleemosynam praebere Sacerdoti capitulari, qui ipsius vicem supplet in Missae conventualis celebratione et applicatione, nisi statuta capitularia vel particularis consuetudo aliud ferant.

« Servari potest consuetudo praebendi stipem Celebranti vel ex cumulo distributionum vel ex redditibus omnium praebendarum per contributum » (C. I. C. 417, § 2 et 3).

« Si quis eodem die urgeatur onere utriusque Missae et pro populo et conventuali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium vel per se die sequenti » (l. c., 419, § 2).

ARTICULUS II.

De tempore Missae Conventualis.

285. — Missa Conventualis celebrari debet immediate post Horam canonicam, designatam a Rubricis, iuxta ordinem sequentem:

I. - POST MATUTINUM: Prima Missa in Festo Nativitatis Domini.

II. - POST PRIMAM: 1. Secunda Missa in die Natalis Domini; 2. Missa Defunctorum; 3. Missae votivae pro re non gravi quae ex piis foundationibus vel aliis de causis celebrantur.

III. - POST TERTIAM: 1. Missa Festi duplicis et semiduplicis; 2. Missa Dominicae etiamsi anticipatae vel repositae; 3. Tertia Missa in die Nativitatis Domini; 4. Missa infra Octavas; 5. Missa in Vigilia Nativitatis D. N. I. C., si in Dominica occurrat; 6. Missa de Vigilia Epiphaniae quae Dominicae omnibus privilegiis gaudet.

IV. - POST SEXTAM: 1. Missa de Feria communi per annum; 2. Missa Festi simplicis; 3. Missa de Vigilia Ascensionis; 4. Missae votivae quae celebrantur loco Missae de Feria communi.

V. - POST NONAM: 1. Missa Feriarum Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, etiam infra Octavam Pentecostes; 2. Missa Rogationum; 3. Missa omnium Vigiliarum (excepta Vigilia Nativitatis Domini, si occurrat in Dominica, et Vigilia Epiphaniae); 4. Missa votiva pro re gravi et publica simul causa; 5. Missa in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum; 6. Missa in die

Depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo aut Anniversario sollemni in quo fit concursus populi.

286. — Non licet ab Hora canonica a Rubricis et Decretis designata Missam Conventualem separare, ita ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedat (D. 4053 ad 3).

ARTICULUS III.

De numero Missarum Conventualium.

287. — I. - DUAE MISSAE CONVENTUALES dicendae sunt occurrente quolibet Festo duplici vel semiduplici, non autem si Officium occurrat de die infra Octavam communem:

1. In omnibus Feriis Quadragesimae a Feria quinta post Cineres usque ad Sabbatum infra hebdomadam Passionis inclusive.
2. In Feria secunda Rogationum.
3. In Feriis Quatuor Temporum extra Octavam Pentecostes.
4. In Vigiliis communibus.

Quibus diebus una Missa dicitur in Choro cum Choralium assistentia; altera extra Chorum sine Choralium assistentia.

In Choro dicenda est Missa de Officio occurrenti in duplicibus I vel II classis et per Octavas privilegiatas II vel III ordinis; extra Chorum, Missa de Feria aut de Vigilia.

In reliquis duplicibus et semiduplicibus in Choro dicenda est Missa de Feria aut de Vigilia; extra Chorum, Missa de Officio occurrenti.

In duplicibus tamen I classis nihil fit de Vigilia communi.

5. Similiter duae Missae Conventuales dicendae sunt:

In reliquis diebus Litaniarum, tam Maiorum quam Minorum, ubi fiat Processio, si occurrat Officium duplex I vel II classis aut de Octava Paschatis (25 Aprilis), duae Missae in Choro dicendae sunt, scilicet, de Officio currenti, post Tertiam; post Nonam de Rogationibus. Occurrenti autem Officio duplici maiori vel minori aut semiduplici aut simplici, in Choro dicitur Missa Rogationum, extra Chorum Missa de Officio diei.

II. - TRES MISSAE CONVENTUALES dicendae sunt:

1. In Vigilia Ascensionis, si fiat Processio, et celebretur Officium duplex maius vel minus aut semiduplex: prima Missa dicitur de Officio diei post Tertiam, extra Chorum; secunda de Vigilia, post Sextam, pariter extra Chorum; tertia de Rogationibus, in Choro post Processionem.

2. In Festo Nativitatis Domini, iuxta speciales Rubricas, tres Missae Conventuales in Choro dicuntur, non obstante contraria consuetudine (D. 2631 ad 1).

288. — Praeter Missas Conventuales a Rubricis praescriptas canitur in Choro:

I. - Missa votiva de Anniversario electionis et consecrationis Episcopi in Ecclesia cathedrali et in Collegiatis dioeceseos, accedente quidem Episcopi mandato, in anniversario electionis vel translationis et consecrationis Episcopi, dummodo Officium Missas votivas pro re gravi impediens non occurrat.

II. - Missa de Requie in Ecclesia cathedrali, tam in anniversario quod celebratur pro Episcopo ultimo functo, quam pro animabus omnium Episcoporum et eiusdem Ecclesiae cathedralis Canonicorum defunctorum.

Omnes Missae ex fundatione dicendae sunt in Choro cum assistentia Choralium.

289. — In Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus, ex indulto Apostolico, una tantum Missa Conventualis celebratur in Feriis Quadragesimae, Passionis, Quatuor Temporum extra Octavam Pentecostes, in Vigiliis communibus necnon in Feria II Rogationum Missa Conventualis erit:

I. - De Officio diei cum Commemoratione Feriae aut Vigiliae in duplicibus I et II classis ac per Octavas privilegiatas II et III ordinis. Commemoratio tamen Vigiliae omittitur in duplicibus I classis.

II. - De Feria vel de Vigilia in reliquis duplicibus, in semiduplicibus et per Octavas sive privilegiatas III ordinis sive communes, cum Commemoratione Officii diei.

III. - De Feria in occurrentia Feriae maioris cum Vigilia, addita Commemoratione Vigiliae et Officii diei.

290. — In Ecclesiis Religiosorum, in quibus est obligatio Chori et una tantum Missa Conventualis celebratur, servetur quod supra diximus de Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus ex indulto Apostolico, una Missa Conventualis celebratur.

ARTICULUS IV.

De Missa Conventuali votiva.

291. — Singulis per hebdomadam diebus quando fit Officium de Feria (exceptis Feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum) et primo resumenda non sit

Missa Dominicae praecedentis impeditae, neque dicenda Missa Conventualis Defunctorum iuxta Rubricas, pro Missa Conventuali dici potest una ex Missis votivis, iuxta ordinem in Rubrica speciali in fine Missalis descriptum, nempe:

FERIA II: de SS. Trinitate.

FERIA III: de Angelis.

FERIA IV: de S. Ioseph, vel de Ss. Petro et Paulo App., vel de omnibus Sanctis Apostolis; vel de patrono principali Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis, vel de Sancto Fundatore Ordinis seu Congregationis.

FERIA V: de Spiritu Sancto vel de SS. Sacramento.

FERIA VI: de S. Cruce vel de Passione Domini.

SABBATO: de Sancta Maria etiam in Adventu dici debet, sed non in Sabbato Quatuor Temporum et dummodo non occurrat aliqua Vigilia.

In his Missis additur Commemoratio Feriae de qua factum est Officium et additur Oratio pro diversitate Temporum assignata, iuxta Rubricas. Feria secunda vero, penultimo loco additur Oratio: *Fidelium*, etc., pro Defunctis.

ARTICULUS V.

De Missa Conventuali de Requie.

292. — Prima die cuiusvis mensis extra Adventum, Quadragesimam et Tempus paschale, in qua Officium fiat de Feria, in Choro, loco Missae de Officio diei dicitur Missa Conventualis de Requie pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis. Haec Missa tamen omittitur mense Novembri in quo Omnium Fidelium Defunctorum Commemorationem universa celebrat Ecclesia. Quod si prima die libera mensis, ut supra, occurrat Feria Quatuor Temporum aut aliqua Vigilia aut primo resumenda sit Missa Dominicae praecedentis impeditae, eadem Missa Conventualis dicatur in proximiori sequenti die similiter non impedita.

293. — Feria secunda cuiusque hebdomadae, extra Quadragesimam et Tempus Paschale, in qua Officium fiat de Feria, dummodo aliqua Vigilia non occurrat, aut primo resumenda non sit Missa Dominicae praecedentis impedita, in Choro, loco Missae Conventualis de die, dici potest Missa pro Defunctis.

CAPUT XXIX.
DE MUSICA SACRA

ARTICULUS I.
De cantu sacro.

294. — « Musica sacra, utpote solemnus Liturgiae pars necessaria, huius finem generalem participat, qui gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium. Ad sacrarum Caeremoniarum decus ac splendorem augendum ipsa concurrat, quumque peculiare eius officium in hoc versetur, ut aptis concentibus liturgicum textum exornet fidelium menti propositum, proprium ei munus addicitur maiorem vim eidem textui adiungendi, quo facilius inde fideles ad pietatem excitentur, meliusque animum disponant ad gratiae fructus consequendos, qui a celebratis divinis Mysteriis proveniunt.

« Itaque musica sacra proprias Liturgiae qualitates possideat necesse est, in primisque *sanctitatem ac bonitatem formae*; unde alia nota suapte exoritur, *universitas* » (Ex *Motu proprio*, Pii Pp. X, de Musica sacra, diei 22 Nov. 1903, n. 4121, 1-2).

« Qualitates hae in gregorianis concentibus maxime inveniuntur; igitur huiusmodi cantus Ecclesiae Romanae proprius est; unum hunc ab antiquis patribus haereditate accepit, hunc summa cura longo saeculorum cursu in codicibus liturgicis custodivit, hunc tamquam suum directo fidelibus proponit, hunc in nonnullis Liturgiae partibus unice constituit, quem recentissima studia ad pristinam integritatem puritatemque tam feliciter reddiderunt.

« His de causis gregorianus cantus tamquam musicae sacrae supremum exemplar ita habitus est, ut iure lex haec generalis enunciari queat: *Eo magis musicum opus Ecclesiae inserviens sacrum esse atque liturgicum, quo magis ratione sua, afflatu, sapore ad melos gregorianum accedat; contra eo minus Templo dignum esse, quo magis ab exemplo illo recedat.*

« Itaque vetus gregorianus cantus traditione perceptus late in Sacris restituendus est, quum omnes pro certo habeant, divinam rem nihil magnificentiae suae amittere, licet unice cum hoc musico genere consocietur.

« Nominatim autem gregorianus cantus in populi usum restituendus curetur, quo ad divinas laudes Mysteriaque celebranda magis agentium partem antiquorum more, fideles conferant » (l. c., n. 3).

295. — DE CANTU POLYPHONICO SEU FIGURATO. — « Memoratas hactenus notas praeter modum possidet quoque *classica*, prouti vulgo dicitur, polyphonia, Romanae Scholae praesertim, cuius saeculo XVI Petrus-Aloisius Praenestinus exstitit perfectior; nec desiit postea exquisitae excellentiae, tum liturgicae tum musicae, opera proferre. Classica enim polyphonia ad gregorianos concentus, exemplum unicum musicae sacrae omnis, plane accedit, atque inde una cum gregoriano cantu ad sollemnia Ecclesiae maxima, quae in Caeremoniis Pontificiis habentur, excipi meruit. Quare et ipsa late in Sacris restituenda erit, apud insigniores Basilicas praesertim, apud cathedrales Ecclesias, apud seminaria, aliaque ecclesiastica collegia, ubi ad rem necessaria minime desiderentur.

« Ecclesia artium progressum indesinenter coluit, eique favit, ad religionis usum omnia admittens, quae hominis mens bona pulcraque per saeculorum cursum invenit, salvis tamen liturgicis legibus. Recentissimum itaque musicae genus et ipsum probatur, quippe quod opera excellentiae, sapientiae, gravitatis plena exhibeat, sacris Caeremoniis non indigna.

« Quia vero recentioris musicae genus ad profanum usum praecipue ortum sit, in hoc maior erit collocanda cura, ne eiusmodi opera hodierno stylo accommodata quidquam profani afferant, neve theatraalia argumenta redoleant, neu denique in ipsis formis externis ad exemplum profani cantus effingantur » (l. c., n. 4, 5).

296. — DE TEXTU LITURGICO. — « Proprius Romanae Ecclesiae sermo latinus est; itaque in sollemnibus Sacris liturgicis prohibentur omnino cantus, vulgari eloquio editi; eoque magis circa partes variables, vel communes tum Missae tum Officii.

« Quum in Sacris liturgicis singulis textus musices proponendi ac propositionis ordo apprime fuerint constituti, neque licet ordinem hunc subvertere, neque praescriptos textus ad nutum mutare, neque ex integro, vel tantum in parte omittere, nisi forte Rubricae concedant textus aliquot versus, dum simpliciter in Choro recitantur, suppleri organo. Unum, iuxta Ecclesiae Romanae consuetudinem, conceditur, post solemnem Missae *v. Benedictus*, canticulum SS. Eucharistiae. Permittitur etiam, post rite cantatum Missae *Offertorium*, reliquum tempus dare brevi canticulo super verba ab Ecclesia approbata.

« Textus liturgicus canendus est, prout exstat in libris, nullo verbo corrupto, nullo postposito, indebitis iterationibus et syllabarum abruptionibus prorsus amotis, atque ita semper, ut ab audientibus percipi possit » (l. c., n. 7, 8, 9).

297. — DE FORMA EXTERNA SACRAE MUSICAE OPERUM. — « Singulae tum Missae tum divini Officii partes, musice quoque sensum formamque servare debent, qualem traditio ecclesiastica invexit, atque optime cantu gregoriano exprimitur. Alia est igitur ratio qua *Introitus*, alia qua *Graduale*, *Antiphona*, *Psalmus*, *Hymnus*, *Gloria in excelsis*, etc., componantur.

« Peculiares autem hae normae servantur:

a) *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, etc. in Missa unitatem praeseferant sui cuiusque textus propriam.

Non itaque licet ea partibus separatis componere, quasi unaquaeque pars musicum opus absolutum efficiat, quod a reliquis secerni possit in eorumve locum substitui.

b) In Vesperarum sacris peragendis, standum communiter normis *Caeremonialis Episcoporum*, cantum gregorianum in psalmodia iubentis, et musicam figuratam permittentis in *ꝛ. Gloria Patri* et *Hymno*.

« Licebit tamen in sollemnioribus alternis psallere, et gregorianum cantum, et concertus eos, qui *falsibordoni* Italice nuncupantur, sive versus simili modo apte dispositos.

« Interdum etiam concedi poterit ut singuli psalmi ex integro musice proponantur, dummodo hisce in operibus psalmodiae forma propria servetur, id est talis ut cantores psallere inter sese videantur sive novis concertibus, sive modis e cantu gregoriano depromptis, vel eius similitudinem praeseferentibus.

« Psalmi igitur symphoniaci (Italice *di concerto*) excluduntur prorsus ac vetantur.

c) In Ecclesiae Hymnis forma antiquitus tradita servetur. Quamobrem non licet cantico, ex. gr. *Tantum ergo*, eos modos aptare, qui in stropha priore flebiles illas formas exhibeant, vulgo *romanza*, *cavatina*, *adagio* appellatas, in altera vero, *Genitori* etc., festivum genus.

d) Vesperarum Antiphonae gregorianis modis sibi propriis generatim proponantur. Quod si interdum, singulari aliquo in casu, musice canantur, numquam iis erit symphoniacus modus, neque canticuli vel cantionis amplitudo » (l. c., 10, 11).

298. — DE CANTORIBUS. — « Exceptis modis, qui Sacerdotis ad Altare Sacra peragentis Administrorumque proprii sunt, ac semper ex uno gregoriano cantu nullaque organi modulatione constabunt, reliquus cantus liturgicus Chori Levitarum est, quorum vice ecclesiastici cantores proprie funguntur. Quae igitur musica opera ipsi ferunt,

maxima saltem ex parte, ad choralis musicae normam procedere debent.

« Non tamen unius vocis melos prorsus arcetur; ea vero ne in Sacris ita umquam praevaleat, ut maxima textus pars hoc ritu perficiatur; sit imo ei nota significationis aut harmonici indicii, arteque cum reliqua choralis compositione colligetur.

« Quum cantoribus in Ecclesia munus vere liturgicum sit, consequitur, mulieres, talis officii expertes, ad Chori partem agendam, aut ullo modo in musicum Chorum admitti non posse. Quod si acutae, vel acutis proximae voces adhiberi velint, antiquissimo Ecclesiae more, id pueri praestabunt.

« Ne quis denique cantor in Ecclesiae Chorum inducatur, nisi constiterit de eius pietate atque integritate vitae, eumque modestiam religionemque praeferre, quae sanctum decent officium, cui ipse addicitur. Rei insuper conveniet, cantores, dum in templis canunt, vestibus ecclesiasticis ac superpelliceo indui; quod si in suggestu locum habeant, fidelium oculis ultra modum patente, eos clathris abscondi » (l. c., n. 12, 13, 14).

299. — Sacrae Rituum Congregationi hoc dubium propositum fuit: « Per Decretum n. 3964, De Truxillo, die 17 Sept. 1897, prohibitum fuit ne « mulieres ac puellae intra vel extra ambitum Chori canant in Missis solemnibus ». Attamen, cum in Motu proprio SS. mi D. N. Pii Pp. X: « *Inter pastoralis officii* » de Musica Sacra, D. 22 Nov. 1903, n. 4121, praecipitur ut « cantus gregorianus in populi usum restituendus curetur, quo ad divinas laudes Mysteriaque celebranda magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant », quaeritur: Licebitne permittere, ut puellae ac mulieres in scamnis sedentes, ipsis in Ecclesia assignatis, separatim a viris, partes Missae cantent; vel saltem extra functiones stricte liturgicas, Hymnos aut cantilenas vernaculas concinant? Et S. R. C. ... omnibus sedulo perpensis, ita rescribendum censuit: Affirmative ad utrumque, et ad mentem. Mens est: Ubi viri et pueri suam partem convenienter, tamquam Chorus seu *Schola cantorum*, conferre possunt, mulieres et puellae canentes a reliquo populo non distinguantur, salva separatione virorum a mulieribus, ubi laudabilis huiusmodi servatur consuetudo: et, ubi praesertim officitura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum non admittatur, nisi ex gravi causa, ab Ordinario agnoscenda; et cauto semper ut quaevis inordinatio vitetur » (D. 4210 ad II, diei 17 Ian. 1908).

ARTICULUS II.

De organo et musicis instrumentis.

300. — « Quamvis musica Ecclesiae propria solummodo vocalis sit, licet tamen musicam organo moderari. Speciali ratione, debitis terminis, servatisque tutelis servandis, alia musica instrumenta adhiberi poterunt: numquam vero sine speciali venia Ordinarii, iuxta *Caeremonialis Episcoporum* praescripta » (ex Motu prop. supra cit. D. 4121, n. 15).

Musica instrumenta (vulgo: *violini, viole, violoncelli, contrabassi, clarinetti, fagotti, trombe*) permitti possunt tantum in illis functionibus et temporibus in quibus sonus organi non prohibetur a *Caeremoniali Episcoporum* (D. 4156 ad 1).

« Quum cantus primum semper locum obtinere debeat, organum aliaque musica instrumenta cantum adiuvent, numquam opprimant.

« Non licet cantui instrumentis late praeludere, neque iisdem exodiorum moram facere.

« Organi sonus cantum socians, vel eidem praeludens, interludens, etc., non modo iuxta naturam huius instrumenti propriam perducatur, sed omnium qualitatam, quibus musica vere sacra pollet, quamque superius memoravimus, particeps esto » (ex Motu prop. supra cit. D. 4121, 16, 17, 18).

301. — « In Templis, tum musici instrumenti, cui vulgo *piano-forte* nomen inditum est, tum instrumentorum omnium maiorem vel minorem strepitum edentium, utpote tympanorum cuiusvis formae et molis, crotalium, tintinnabulorum et similibus, usus vetatur » (l. c., n. 19).

« Possunt tolerari instrumenta musica, *oboes et clarinettes*; dummodo moderate, et obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur » (D. 4226 ad 1).

302. — « Severe prohibetur symphonicorum catervis (vulgo *bande musicali*) in Templis psallere; tantum speciali aliqua ratione, ex venia Ordinarii, licebit admitti eorum manipulum delectum, numero circumscriptum, catum, loco congruentem, qui spiritalibus instrumentis ludant, dummodo et musicum opus, et collata ad tibias vox gravem stylum redoleant, eundemque comparem et omnino similem vocis organi propriae.

« In pompis extra Templum ab Ordinario permitti potest symphonicorum catervae participatio, dummodo ne quovis modo profanos

psallat contentus. Optandum est, in huiusmodi vicibus, symphonicis munus hoc unum tribui, ut spirituale aliquod canticum moderentur, sive latino sive vulgari eloquio a cantoribus propositum, aut a piis Congregationibus, quae pompae adsunt » (D. 4121, n. 20, 21).

303. — In Missa solemnibus et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est carentia Magistri organi vel cantorum, etiam laicorum, non licet uti machina vulgo dicta *Grammofono* pro cantu stricte liturgico gregoriano, partium variabilium aut invariabilium Missae solemnibus, Hymnorum et aliorum Canticorum (D. 4247).

ARTICULUS III.

De modis ad rem exsequendam praecipuis.

304. — « At tamen, quo clerus populusque eis legibus et praescriptionibus (*recensitis in Motu proprio Pii Pp. X, de Musica sacra*), quae sancte, inviolateque in Ecclesia universa servandae sunt, religiosius pareat, nonnulla haec adiciere placet, quae nempe hoc XXV annorum spatio experiendo didicimus...

« Omnibus igitur Episcopis atque Ordinariis, quibus quidem, cum sint liturgiae custodes, de sacris artibus in ecclesiis cura esse debet, nonnulla hic Nos commendare volumus, quasi optatis respondentibus, quae ex tot musicis congressionibus, praecipueque ex recentiore conventu, Romae habito, Nobis significarunt non pauci sacri Pastores ac studiosissimi rei huius praecones, quos omnes merita hic laude honestamus; eademque, ut infra, efficacioribus viis rationibusque propositis, ad effectum deduci iubemus.

« I. — Quicumque sacerdotio initiari cupiunt, non modo in Seminariis sed etiam in religiosorum domibus, iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur; propterea quod facilius tum ea perdiscunt, quae ad modulationes sonosque pertinent; et vocis vitia, si fortasse habeant, eradicare vel saltem corrigere queunt, quibus quidem postea, adultiores aetate, mederi prorsus non possent. Ab ipsis primordiorum scholis institutio cantus et musicae incipienda est, ac deinde in gymnasio et lycaeo continuanda; ita enim qui sacros ordines suscepturi sunt, cum iam cantus periti sensim sine sensu facti sint, in theologicorum studiorum curriculo, sine ullo quidem labore ac difficultate, altiore illa disciplina institui poterunt quam verissime *aestheticam* dixeris monodiae gregorianae ac musicae artis, polyphoniae atque organi, quamque clerum pernoscere omnino decet.

« II. - Esto igitur in Seminariis ceterisque studiorum domiciliis, utrique clero recte conformando, brevis quidem sed frequens ac paene cotidiana cantus gregoriani et musicae sacrae lectio vel exercitatio; quae si liturgico spiritu peragatur, solatium potius quam onus, post severiorum disciplinarum studium, alumnorum animis afferet. Auctior ita pleniorque utriusque cleri in liturgica musica institutio id certe efficiet ut ad dignitatem priscam splendoremque *chorale officium* restituatur, quod pars est divini cultus praecipua; itemque ut *scholae* et *capellae musicorum*, quas vocant, ad veterem gloriam revocentur.

« III. - Quicumque in *basilicis aedibusque cathedralibus, collegiatis et conventualibus religiosorum* cultum moderantur et exercent, iidem totis viribus contendant ut rite, id est ad Ecclesiae praescripta, *chorale officium* instauretur; neque id solum quod ad commune praeceptum spectat divini officii peragendi *digne* semper, *attente* ac *devote*, sed etiam quantum ad canendi artem attinet; in psallendo enim, et iusta tonorum ratio curanda est una cum mediis suis numeris clausulisque ad sonum exquisitis, et congruens ad asteriscum mora, et plena denique concordia illa in psalmodicis versiculis hymnorumque strophis conclamandis. Quae si egregie efficiantur, omnes rite psallentes, cum suorum animorum in adorando Deo unitatem mirifice ostendant, tum, in moderata duarum chori partium vice, sempiternam illam Seraphim laudem, qui clamabant alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* aemulari videntur.

« IV. - Ne quis autem in posterum faciles excusationes praetexat ut ab officio Ecclesiae legibus parendi liberatum se existimet, ordines canonicorum omnes ac religiosae eadem communitates de his rebus in stasis coetibus agant; et quemadmodum olim *cantor* erat seu *rector chori*, ita in posterum in canonicorum et religiosorum choris aliquis eligatur peritus, qui cum liturgiae cantusque choralis normas in usum deducendas curet, tum singulorum vel chori universi vitia emendet. Quo in genere praetereundum non est, ex veteri constantique Ecclesiae disciplina atque ex ipsis capitularibus constitutionibus quae adhuc vigent, quotquot ad *chorale officium* tenentur, eos omnes saltem cantum gregorianum rite pernoscere oportere. Cantus vero gregorianus, in ecclesiis omnibus cuiusvis ordinis adhibendus, is est qui ad veterum codicum fidem restitutus, ab Ecclesia in editione authentica, vaticanis typis, iam propositus est.

« V. - *Capellas* etiam *musicorum* iis omnibus ad quos spectat commendatas hic volumus, utpote quae, decursu temporum, in antiquarum *scholarum* locum suffectae, eo pacto in basilicis maioribusque

templis constitutae sint ut polyphonicam praecipue musicam ibidem efficerent. Quam quidem ad rem, merito *polyphonia* sacra post gregorianum cantum altero loco haberi solet: ideoque vehementer Nos cupimus ut *capellae* huiusmodi, quemadmodum a saeculo XIV ad saeculum XVI floruerunt, ita hodie illic maxime renoventur ac revirescant ubi divini cultus frequentia et amplitudo maiorem cantorum numerum exquisitioremque eorum delectum postulant.

« VI. - *Scholae puerorum*, non modo apud maiora templa et cathedrales, sed etiam penes minores et paroeciales aedes excitentur; pueri autem a *capellarum* magistris ad recte canendum instituantur ut ipsorum voces, iuxta veterem Ecclesiae morem, virorum choris sese adiungant, maxime cum in polyphonica musica, ut olim, adhibendae sint pro suprema voce, quae *cantus* appellari consuevit. Ex eorum numero, saeculo praesertim XVI, polyphoniae auctores peritissimi, uti est compertum, prodiere, quos inter omnium facile princeps Ioannes ille Petrus Aloisius Praenestinus.

« VII. - Quoniam vero didicimus tentari alicubi ut quoddam musicae genus resumatur, sacrorum officiorum perfunctioni haud omnino congruens, praesertim ob immoderatiorem instrumentorum usum, Nos quidem hic profiteamur cantum cum symphonia coniunctum nullo modo ab Ecclesia tamquam perfectiorem musicae formam rebusque sacris aptiorem haberi; etenim magis quam instrumenta, vocem ipsam in sacris aedibus resonare decet: vocem nempe cleri, cantorum, populi. Neque est autem putandum incremento musicae artis Ecclesiam obsistere, quod instrumento cuilibet humanam vocem anteponat; siquidem nullum instrumentum, quamvis eximium atque perfectum, in exprimendis animi sensibus humanam vocem superare potest, tum maxime cum ipse animus ea utitur ut preces et laudes ad omnipotentem Deum extollat.

« VIII. - Est quidem Ecclesiae proprium musicum instrumentum a maioribus traditum, *organum*, ut aiunt; quod, ob miram quandam granditatem maiestatemque, dignum habitum est ut cum liturgicis ritibus coniungeretur, sive cantum comitando, sive, silente choro, ad praescripta, harmonias suavissimas eliciendo. At vero in hoc etiam illa vitanda est sacri et profani permixtio, quae causa cum fabrorum qui organa conficiunt, tum modulatorum quorundam qui novissimae musicae portentis indulgent, huc demum evaderet ut de ipso ad quem destinatur fine mirificum hoc instrumentum deflatteret. Equidem ad liturgiae normas Nosmet ipsi optamus ut quaecumque ad organum spectant nova semper incrementa capiant; sed temperare Nobis non possumus quin conqueramur quod, uti olim

aliis musicae formis quas merito Ecclesia prohibuit, ita hodie novissimis sane formis tentetur ut in templum profani spiritus invehantur; quas quidem formas, si gliscere inciperent, facere non posset Ecclesia quin omnino damnaret. Personent in templis ii tantum organi concentus qui maiestatem loci referant ac rituum sanctitudinem redoleant; hoc enim pacto ars tum fabrorum in construendis organis, tum musicorum in eisdem adhibendis, revirescet ad liturgiae sacrae efficax adiumentum.

« IX. — Quo autem actuosius fideles divinum cultum participant, cantus gregorianus, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur. Ac revera perneceesse est ut fideles, non tamquam extranei vel muti spectatores, sed penitus liturgiae pulchritudine affecti, sic caeremoniis sacris intersint — tum etiam cum pompae seu processiones, quas vocant, instructo cleri ac sodalitatium agmine, aguntur — ut vocem suam sacerdotis vel scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent; quod si auspiciato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam, aut levi quodam demissoque murmure communibus precibus, liturgica vulgarive lingua propositis, vix respondeat.

« X. — In hoc utriusque cleri industria desudet, praeerantibus quidem Episcopis et locorum Ordinariis, ut, per se vel per alios rei peritos, liturgicam musicamque populi institutionem curent, utpote cum doctrina christiana coniunctam. Quod quidem facilius efficietur scholas praecipue, pia sodalicia ceterasque consociationes liturgicis cantibus instruendo; religiosorum autem, sororum ac piarum feminarum communitates alacres sint ad hunc finem assequendum in variis institutis quae sibi ad educandum et erudiendum concredita sunt. Itemque valde ad hanc rem valituras esse confidimus eas societates quae in nonnullis regionibus, ecclesiasticis auctoritatibus obsequentes, musicam sacram ad Ecclesiae leges restaurare contendunt.

« XI. — Ad haec omnia, quae sperantur, adipiscenda peritis magistris iisdemque frequentissimis omnino opus est. Quo in genere, Scholis et Institutis illis, passim per catholicum orbem conditis, debitas laudes tribuimus; siquidem disciplinas huiusmodi diligenter docendo, praeceptores optimos idoneosque effingunt. Sed maxime memorare hoc loco ac dilaudare placet *Pontificiam Scholam musicae sacrae alius tradendae*, quae inde ab anno mcmx in Urbe a Pio X constituta est. Hanc Scholam, quam deinde proximus decessor Noster Benedictus XV studiose provexit novaque sede donavit, Nos quoque peculiari quodam favore prosequimur, tamquam pretiosa Nobis

hereditate a duobus Pontificibus relictam, eandemque idcirco Ordinariis omnibus magnopere commendatam volumus.

« Equidem probe novimus ea omnia, quae supra mandavimus, quantum studii postulant ac laboris. At vero quis ignorat quam multa opera quamque magno artificio confecta, nullis devicti difficultatibus, maiores nostri posteritati tradiderint, utpote qui pietatis studio ac liturgiae spiritu imbuti essent? Neque id mirum: quidquid enim ab ipsa, quam Ecclesia vivit, interiore vita profiscitur, mundi huius perfectissima quaeque transcendit. Difficultates coepti huius sanctissimi animos Ecclesiae Antistitum excitent atque erigant nedum infringant; qui voluntati Nostrae concorditer omnes constanterque obsequentes, operam navabunt Summo Episcopo episcopali suo munere dignissimam.

« Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes Apostolicam hanc Constitutionem firmam, validam et efficacem semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus. Nulli igitur hominum liceat hanc Constitutionem a Nobis promulgatam infringere vel eidem temerario ausu contraire ».

(Ex Const. Ap. Pii Pp. XI « *De Liturgia deque Cantu Gregoriano et Musica sacra cotidie magis provehendis* », die XX Decembris 1928).

CAPUT XXX.

DE LOCIS SACRIS

305. — « Loca sacra ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt » (C. I. C. 1154).

Ad essentiam ergo loci sacri requiritur:

1. *destinatio* vel ad divinum cultum ut Ecclesiae, Oratoria, Altaria, vel ad sepulturam fidelium ut Coemeterium;

2. *constitutio* quae peragitur sive per consecrationem sive per benedictionem, iuxta ritum a probatis liturgicis libris praescriptum. Absque consecratione vel benedictione locus nequit sacer esse.

306. — « Consecratio alicuius loci, quamquam ad regulares pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur, dummodo Ordinarius characterem episcopalem sit insignitus, non tamen ad Vicarium Generalem sine speciali mandato... » (C. I. C. 1155, § 1). S. R. Ecclesiae Cardinales, etsi characterem episcopalem careant, ius

habent consecrandi Ecclesiam et Altaria sui Tituli; alias Ecclesias et Altaria ubique, consentiente loci Ordinario, consecrare possunt (C. I. C. 239, § 1, 20º; 1155, § 1; 1157).

Praeterea Episcopi omnes extra proprium territorium loca consecrare possunt de licentia territorii Ordinarii qui « licet caractere episcopali careat, potest cuilibet eiusdem ritus Episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio » (C. I. C. 1155, § 2).

Et etiam Abbates et Praelati *nullius*, si benedictionem receperint, Ecclesias et Altaria immobilia consecrare possunt in proprio territorio tantum (C. I. C. 323, § 2); in alieno autem territorio valide nequeunt Ecclesias consecrare etiamsi intercedat eiusdem Ordinarii licentia, nam « consecrationes nemo qui caractere episcopali careat, valide peragere potest nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur » (C. I. C. 1147, § 1; Resp. Pont. Comm. ad Cod. Can. authent. interpr., die 29 Ian. 1931).

307. — Ius benedicendi locum sacrum spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur, dummodo non agatur de loco ad religionem clericalem exemptam pertinente, quo in casu eius benedictio est de iure Superioris maioris illius religionis.

Tum Ordinarius loci, quo in casu etiam Vicarius Generalis intelligitur, nam Codex nullam ponit exceptionem, tum Superior maior ad hoc, iuxta proprium ius, quemlibet sacerdotem delegare possunt (C. I. C. 1156).

Nullus qui, sive ex ordine sacro sive ex iure consecrare et benedicere potest, licite consecrare vel benedicere loca potest absque consensu illius ad quem pertinet, iuxta Codicem Iuris canonici, non obstante quolibet privilegio (C. I. C. 1157).

308. — Ad probandam consecrationem vel benedictionem duplex documentum redigendum est, cuius alterum exemplar in archivo Curiae Ordinarii, alterum in archivo Ecclesiae servandum est (C. I. C. 1158).

Si agatur de benedictione, non vero de consecratione, Ecclesiae ad religionem clericalem exemptam pertinentis, tunc ex analogia iuris sufficere videtur, si alterum documentum in archivo particulari Ecclesiae benedictae, non vero in archivo domus religiosae, alterum vero servetur in archivo Superioris maioris ad quem ex iure haec benedictio spectat.

309. — Si legitime constet locum consecratum vel benedictum esse, consecratio et benedictio iterari nequit; in dubio autem et

consecratio et benedictio peragenda est ad cautelam (C. I. C. 1159, § 2).

Deficientibus documentis ad probandam vel consecrationem vel benedictionem Codex sufficientem unum testem omni exceptione maiorem habet (C. I. C. 1159, § 1).

CAPUT XXXI.

DE ECCLESIIS

ARTICULUS I.

De Ecclesiis generatim.

310. — « Ecclesiae nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum » (C. I. C. 1161).

Ex definitione patet Ecclesiam ab Oratorio differre, nam Oratorium usui omnium fidelium non destinatur, sed tantum in commodum familiae vel personae privatae vel alicuius coetus fidelium (C. I. C. 1188); Oratoria adire libere cuique non semper est, Ecclesias vero Christifideles omnes semper adire possunt. Ex quo fit ut Ecclesia locus publicus, ex iure ecclesiastico, sit, nempe locus destinatus ad totius populi publicum usum.

311. — Variis nominibus Ecclesiae designantur:

I. - **BASILICAE**: quaedam Ecclesiae insigniores, quae prae aliis aliquam supereminentiam seu dignitatem habent. Hoc titulo decorantur tantum Ecclesiae, vel ex Apostolica concessione vel quae ab immemorabili consuetudine tali titulo decoratae inveniuntur (C. I. C. 1180).

BASILICAE aliae sunt **PATRIARCHALES**, aliae vero **MINORES**.

A) Sunt **PATRIARCHALES** quatuor Urbis nobiliores Ecclesiae: SS. Salvatoris seu S. Ioannis in Laterano, quae omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis est Mater et Caput, S. Petri, S. Pauli, S. Mariae Maioris; quae omnes maiores etiam vocantur. Basilica S. Laurentii extra moenia est quoque Basilica Patriarchalis.

Basilicarum maiorum privilegia recenseri haud facile est, nam et plura concessionis documenta deperdita fuerunt, et privilegia, quibus nunc gaudent, non omnibus communia sunt.

Communia iura sunt:

I. Altaris papalis in quo uni Romano Pontifici celebrare fas est;

2. Portae sanctae, quae lubilei anno aperiri debent tantum a Pontifice Summo, vel ab eius Legato.

Ad gradum Basilicarum maiorum Patriarchalium evectae sunt: Ecclesia S. Francisci et illa S. Mariae Angelorum in Assisiis, in quibus Altare papale ad modum Altarium papalium Basilicarum maiorum Urbis habetur.

B) Reliquae vero Ecclesiae, quae Basilicarum titulo decorantur, omnes BASILICAE MINORES sunt, quarum octo Romae exstant; multae extra Urbem. Basilicae minores romanis quoad iura et privilegia non in omnibus aequiparantur, sed quaedam communia habent, scilicet:

1. Usus conopei absque ornamentis aureis et argenteis in supplicationibus toti clero communibus;

2. Usus tintinnabuli quod in supplicationibus conopeum praecedit;

3. Vestes chorales, scilicet Clerici Basilicae adscripti uti possunt cappa magna cum pellibus ermellini ornata in anteriori parte per hiemem, cotta super rocchettum aestivo tempore (D. 2744).

II. - CATHEDRALES: in quibus sedem habet Episcopus cuius dignitas per cathedram significatur.

Ecclesiae Cathedrales dividuntur in Patriarchales, Primatiales, Metropolitanae, Cathedrales simpliciter, prout Patriarcha, Primas, Metropolita et Episcopus sedem in illis habet.

III. - CONCATHEDRALES: Ecclesiae in quibus olim sedem Episcopus habebat et nunc ad aliam translata est.

IV. - ABBATIALES: in quibus Abbas sedem habet.

V. - COLLEGIATAE: in quibus institutum est Clericorum collegium quod capitulariter congregari et agere potest et solet; quaedam dicuntur *insignes* aut *perinsignes* quia titulo hoc decoratae, ex apostolico privilegio vel ab immemorabili consuetudine ob loci vel Capituli praestantiam.

VI. - PAROECIALES: quae constitutae sunt pro necessaria animarum cura in definito territorio; cuique paroeciali Ecclesiae praest Parochus, cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinario loci exercenda.

VII. - SUCCURSALES: quae in auxilium paroecialis Ecclesiae additae sunt.

VIII. - CONVENTUALES seu REGULARES: quae alicuius Religionis propriae sunt.

ARTICULUS II.

De Ecclesiarum aedificatione.

312. — Nulla Ecclesia aedificetur sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato, ne de hac concessione dubitari possit si forte Ordinarius ante benedictionem et impositionem primarii lapidis supremum diem obierit. Vicarius Generalis, sine speciali mandato, consensum hunc praestare nequit (C. I. C. 1162, § 1).

« Etiam sodales religiosi, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen Ecclesiam vel Oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent » (l. c., § 4).

313. — In Ecclesiarum aedificatione vel refectione serventur formae a traditione christiana receptae, ita ut nihil profani sacrae aedes sapiant; et quoad stylum, delineationes, ornatus, serventur leges artis sacrae, quae nos docet quomodo religio venustis, ac quae sensibus facile percipiuntur, formis exprimi possit.

Si opus fuerit, peritorum in arte sacra Ordinarii exquirant consilia: et optime agunt, quamvis stricto iure non teneantur, qui Ecclesiae aedificandae vel reficiendae descriptionem et diagramma seu exemplar eorum subdunt.

314. — In Ecclesiis earumque cryptis divino cultui destinatis non licet affigere inscriptiones virorum, etsi in dignitate ecclesiastica constitutorum, cum eorum imaginibus et statu, quamvis ipsi pertineant ad familiam quae a fundamentis extruxerit sive Ecclesiam ipsam sive aliquam cappellam in eadem Ecclesia et eandem sufficienter dotaverit (D. 733).

Item iisdem in locis apponere non licet tabulas cum inscriptionibus et nominibus fidelium defunctorum, quorum corpora inibi tumulata non sunt nec tumulari possunt iuxta can. I. C. 1205, § 2 (D. 4376).

Nunquam inscriptiones, imagines, monumenta in Ecclesiis apponantur absque Ordinarii loci licentia.

315. — Nullus aperiatur aditus sive in Ecclesiae proprie dictae parietibus, sive in aliis Ecclesiae adjacentibus locis, ne a laicorum domibus vel possessionibus, tam directe quam indirecte, ad sacras aedes accedatur. Haec est antiqua Ecclesiae disciplina per plurima Sacrarum Congregationum Decreta praescripta et a can. I. C. 1164, § 2 comprobata. Ne permittatur quidem, absque apostolico indulto et adhibitis tamen cautelis, conditionibus de iure servandis, in

domibus laicorum aperire fenestram quae adiunctam Ecclesiam introspiciat (DD. 166; 3978 ad 5; 2006; C. I. C. 1164, § 2). Nec loca, si adsint, vel supra Ecclesiam vel subter Ecclesiae pavementum, adhibeantur ad usum profanum (C. I. C. 1164, § 2) quamvis aditus ad praedicta loca sit extra corpus sacri aedificii (D. 3157 ad V).

316. — PULPITUM collocandum est a parte Evangelii; non longe a cancellis Altaris maioris; in Ecclesia Cathedrali, ratione Throni Episcopi exstantis in cornu Evangelii, collocandum est a parte Epistolae.

Conficiendum est ex ligno vel ex marmore vel alia solida materia, forma rationi Ecclesiae respondente. Baldachinum ne sit nimis amplum nec valde exiguum, sed pulpito aptum.

In praecipuis sollemnitatibus decet ut Pulpitum sericis pannis exornetur.

317. — ORGANI locus est prope Chorum, sed collocari potest alio in loco legibus acusticis respondente; cavendum est super maiorem Ecclesiae portam.

318. — PORTAE Ecclesiae sint semper decore pictae; si vero aeneae sint, semper a pulvere expurgatae.

Super praecipuam Cathedralis portam non desit Ordinarii stemma; et etiam in aliarum Ecclesiarum portis, si consuetudo ferat.

Ad valvas Ecclesiae adsit sufficiens tabula in qua affigendae Notificationes pro Fidelibus.

ARTICULUS III.

De Ecclesiarum sollemni consecratione vel benedictione.

319. — « Divina Officia celebrari in nova Ecclesia nequeunt, antequam eadem vel sollemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerit dedicata » (C. I. C. 1165, § 1). « Sollemni consecratione dedicentur Ecclesiae Cathedrales et, quantum fieri potest, Ecclesiae Collegiatae, Conventuales, Paroeciales » (l. c., § 3).

320. — « Ecclesiarum consecratio, quamvis quolibet die fieri possit, decentius tamen diebus dominicis aliisque festis de praecepto peragitur.

« Episcopus consecrans et qui petunt Ecclesiam sibi consecrari, per eum diem qui consecrationem praecedit, ieiunent » (C. I. C. 1166, § 1 et 2).

Obligatio ieiunii est praeceptiva, personalis et localis; tenentur praeter Episcopum consecrantem ii tantum qui consecrationem petunt (DD. 2519 ad 1 et 2; 2821), scilicet Parochus vel Rector vel Superior Religiosus, Parochiani et Religiosi quando collective petunt.

Ieiunium moderandum est secundum communem legem ieiunii ecclesiastici (Ex Resp. Pont. Comm. ad C. I. C. interpr., 20 Iul. 1929).

321. — Una simul cum Ecclesia debet saltem Altare maius consecrari aut Altare secundarium, si maius sit iam consecratum (C. I. C. 1165, § 5); sed procedi nequit a duobus Episcopis, quorum unus Ecclesiam, alter Altare consecret (D. 3142 ad 2).

Si vero plura Altaria consecranda sunt, singula Altaria a singulis Episcopis consecrari possunt, dummodo Episcopus Ecclesiam consecrans et ipse Altare primum consecret et in casu satis est ut Missa celebretur in Altari principali (D. 3687 ad 4).

322. — Consecratio Ecclesiae ab uno Episcopo inchoata, qui improviso accidenti correptus eam perficere nequit, ab altero Episcopo de novo est inchoanda, si prior defecit, priusquam sacro Chrismate linierit duodecim Cruces et ea verba protulerit: *Sanctificetur et consecretur hoc Templum*, etc.; in his enim unctionibus et verbis praecipue Ecclesiae consecratio consistit (D. 319).

Si in Ecclesiae consecratione omittatur Altaris consecratio, Ecclesia habenda est valide consecrata « sed non licite, nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua vel omnia Altaria iam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur » (D. 3907 ad 1).

« Cum consecratur Ecclesia vel Altare, Episcopus consecrator, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni Ecclesiam vel Altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria, quinquaginta dierum, si sit Episcopus; centum, si Archiepiscopus; biscentum, si S. R. E. Cardinalis » (C. I. C. 1166, § 3).

323. — Quando, in consecratione Ecclesiae, nec preces nec murorum aspersiones extra Ecclesiam fieri possunt, recurrendum est ad S. Sedem (D. 3687 ad 1).

324. — Officium Dicationis Ecclesiae inchoandum est, peracta consecratione, ab Hora minori Tertia (D. 2868); Vesperae, Matu-

tinum, Laudes et Horae consecrationem praecedentes celebrandae sunt ut in Calendario (D. 2519 ad 5).

325. — Festum anniversarium Dedicationis Ecclesiae celebrandum est quotannis in omnibus Ecclesiis et Oratoriis publicis consecratis, vel in ipsa die anniversaria vel in alia fixa et ab Episcopo designata in actu consecrationis, sub ritu duplici primae classis cum Octava communi.

Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis celebrandum est sub ritu duplici primae classis cum Octava communi per totam Dioecesim ab universo Clero sive saeculari sive regulari Calendarium dioecesanum adhibente; a Religiosis vero proprium Calendarium habentibus sub eodem ritu absque tamen Octava (Addit. et Variat. in Rub. Brev. Rom., Tit. IX, n. 2).

Quod si alicui Dioecesi vel Instituto per Apostolicum indultum concessum sit uno eodemque die anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Dioeceseos, excepta Ecclesia Cathedrali, vel Instituto celebrare, illud in Ecclesiis consecratis tantum recoli potest, ita ut in singulis Ecclesiis consecratis agatur Festum dedicationis propriae Ecclesiae (DD. 3863 ad 3 et 4; 4308, I, 1, e, f; 4311 ad 1).

ARTICULUS IV.

De Ecclesiarum Titulo.

326. — « Unaquaeque Ecclesia consecrata seu benedicta suum habeat titulum; qui, peracta Ecclesiae dedicatione, mutari nequit » (C. I. C. 1168, § 1).

TITULUS seu TITULARIS stricto et liturgico sensu, dicitur Sanctus vel Mysterium a quo Ecclesia appellatur et in cuius honorem et memoriam dedicata est.

« Titulus primarius Altaris maioris idem debet esse ac titulus Ecclesiae » (C. I. C. 1201, § 2).

327. — Ad Ordinarium de iure pertinet Ecclesiae Titulum in benedictione et in consecratione constituere, potest etiam in impositione primarii lapidis eum eligere; imposito primario lapide, Titulus mutari potest; Ecclesia dedicata, mutatio Tituli fieri nequit absque indulto apostolico. Praxis Apostolicae Sedis haec est ut ea potius praeferat alium Titulum adiungere quam mutare (D. 2853). Si agatur de Ecclesia erigenda vel erecta expensis alicuius privati benefactoris,

conveniens est ut Episcopus, exceptis gravioribus causis, eiusdem circa Titulum optata expleat.

328. — Titulus esse potest:

1. SS. Trinitas vel Unaquaeque ex divinis Personis;
2. Quodcumque Mysterium Christi Domini, ut Nativitatis, Transfigurationis, etc.;
3. Quaelibet res sacra quae ad Christum Dominum relationem habuerit, ut Crux, Spinea Corona, Sudarium, etc.;
4. Beata Maria Virgo aut quodlibet eiusdem Mysterium, ut Purificatio, Assumptio, etc.;
5. Angeli etiam singillatim accepti, quo speciali cultu Ecclesia veneratur S. Gabriel, S. Michael, S. Raphael;
6. Sancti omnes quorum, vel in Martyrologio Romano, vel in Supplemento alicuius Dioeceseos, nomina descripta sunt (D. 3876 ad 5).

« Ecclesiae dedicari Beatis nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto » (D. 2353 ad 1; C. I. C. 1168, § 3).

329. — Ecclesiae Titulus generatim unus eligendus est, sed plures Tituli aliquando constitui possunt:

1. In actu consecrationis, Ecclesia dedicari potest pluribus Sanctis, ut Ss. Gervasio et Protasio, Ss. Ioanni et Paulo, Ss. Ambrosio et Carolo, etc.

2. Accessione novi Tituli ad antiquum sive per consecrationem, quando agatur de Ecclesia iam sollemniter benedicta et progressu temporis consecrata, sive ob populi devotionem, accedente tamen apostolico indulto, ut Ss. Laurentio et Damaso, Ss. Dominico et Xysto, Ss. Francisco Ass. et Antonio a Padua, etc.

Tituli legitime constituti aequae principales sunt et iisdem gaudent liturgicis iuribus (D. 2619 ad 4).

330. — Sicut Ecclesiae dedicationis Festum anniversarium, « etiam Festum Tituli quotannis celebretur ad normas legum liturgicarum » (C. I. C. 1168, § 2).

Omnes Ecclesiae sive consecratae sive benedictae Festum Tituli celebrare sub ritu duplici primae classis cum Octava communi debent (D. 4025 ad 1).

Festum Tituli Ecclesiae Cathedralis celebrandum est per totam Dioecesim ab universo Clero sive saeculari, sive regulari Calendarium Dioecesanum adhibente, sub ritu duplici primae classis cum Octava communi; a Religiosis vero proprium Calendarium habentibus sub eodem ritu, sed absque Octava (D. 3863 ad II; Addit. et Variat. in Rub. Brev. Rom., Tit. IX, n. 2).

Si Titularis Ecclesiae descriptus sit in Calendario cum aliis Sanctis, quibus ex natura sua est coniunctus, scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis verae et carnalis aut affinitatis ratio intercedit, ut inter sanctos fratres Gervasium et Protasium, Marcum et Marcellianum, Cosmam et Damianum, etc., non est a Sociis separandus.

Si vero illis coniunctus sit occasione tantum accidentali, quia scilicet eadem die obierint ut sanctus Hippolytus sancto Casiano, etc., tunc a Sociis separatur et de eo agitur Festum sub competenti ritu.

Quod si Socii sint cum eo descripti in Calendario sub ritu duplici primae vel secundae classis, in proxima die reponuntur iuxta Rubricas et sub ritu quo in Calendario inscribuntur; si vero inscripti fuerint sub alio quovis ritu, de eis fit aut omittitur Commemoratio, iuxta Rubricas, in Officio ipso de Titulari (Addit. et Variat. in Rub. Brev. Rom., Tit. IX, n. 4).

ARTICULUS V.

De sacris Functionibus quae in Ecclesiis perfici possunt.

331. — In Ecclesiis rite consecratis vel benedictis omnes ecclesiastici ritus perfici possunt salvis:

1. iuribus paroecialibus quoad Functiones Parocho reservatas;
2. privilegiis quoad quasdam Functiones quae peragendae sunt in certa et determinata Ecclesia;
3. legitimis consuetudinibus quae praescriptionem inducant; dummodo privilegiis et consuetudinibus non afferatur detrimentum paroeciali ministerio, de qua re iudicium ad loci Ordinarium spectat, itemque statuendi practicas normas servandas (C. I. C. 1171; 716, § 3); et in casu loci Ordinario etiam Ecclesiae exemptae et regulares obtemperare debent (l. c., 609, § 3).

332. — « Functiones parocho reservatae sunt, nisi aliud iure caveatur:

- 1º Baptismum conferre solemniter;
- 2º Sanctissimam Eucharistiam publice ad infirmos in propria paroecia deferre;
- 3º Sanctissimam Eucharistiam publice aut privatim tanquam Viaticum ad infirmos deferre atque in periculo mortis constitutos extrema Unctione roborare, salvo praescripto can. 397, n. 3; 514; 848, § 2; 938, § 2;

4º Sacras Ordinationes et ineundas nuptias denuntiare; Matrimonii assistere; nuptialem Benedictionem impertiri;

5º Iusta funebria persolvere ad normam can. 1216;

6º Domibus ad normam librorum liturgicorum benedicere Sabbato Sancto, vel alia die pro locorum consuetudine;

7º Fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicere, publicam Processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiri, nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum has functiones peragat » (C. I. C. 462).

333. — Hinc in qualibet Ecclesia, sive consecrata sive benedicta, praeter celebrationem Missae lectae, cantatae, solemnis et pontificalis, permittuntur:

I. - 1. Benedictio candelarum, cinerum, palmarum (DD. 2123 ad 5; 3813 ad 1).

2. Benedictio mulierum post partum (DD. 2123 ad 6; 3813 ad 2).

3. Benedictio aquae et aspersio super populum in dominicis diebus (D. 4051 ad 1).

4. Benedictiones rerum vel personarum etiam ritu solemni.

5. Expositio, benedictio et osculum Reliquiarum (D. 2123 ad 12).

6. Recitatio vel cantus Horarum Canoniarum.

7. Cantus Officii Defunctorum et Absolutio ad tumulum.

8. Exercitia pietatis, ut preces triduanae, novendiales, etc., dummodo sint ab Ordinario adprobatae (C. I. C. 1259, § 1).

II. - Si in Ecclesia ex iure vel ex indulto datum est asservare SS. Eucharistiam permittitur etiam:

1. Expositio sive privata sive publica SS. Sacramenti et cum eodem benedictio; Supplicatio Quadraginta Horarum (C. I. C. 1274, § 1; 1275);

2. Functiones ultimi tridui Maioris Hebdomadae iuxta ritum Missalis Romani vel Memorialis Rituum si pro eiusdem usu indultum obtineatur (DD. 3390; 3608 ad 1).

ARTICULUS VI.

De sacris Functionibus in Ecclesiis tempore Interdicti.

334. — Interdictum locale sive generale sive particulare prohibet in loco quodlibet divinum Officium vel sacrum ritum, sed suspenditur in die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Cor-

poris Christi et B. Mariae Virginis in coelum assumptae, in quibus diebus prohibetur tantum collatio Ordinum et sollemnis nuptiarum Benedictio (C. I. C. 2270).

335. — « Si interdictum fuerit locale generale et interdicti decreto aliud non caveatur expresse:

« 1. Permittitur Clericis, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacunque Ecclesia aut Oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis;

« 2. In Ecclesia vero cathedrali, Ecclesiis paroecialibus vel in Ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, assistentia Matrimonii, exclusa Benedictione nuptiali, mortuorum exequiae, vetita tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum Oleorum, praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra suppellectili et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur » (C. I. C. 2271).

336. — « In Interdicto locali particulari, si interdictum fuerit Altare vel Sacellum alicuius Ecclesiae, nullum sacrum Officium seu sacer ritus in eisdem celebretur » (C. I. C. 2272, § 1).

337. — « Si interdictum latum fuerit in certam Ecclesiam, tunc:

« 1. Si Ecclesia fuerit capitularis nec interdictum sit Capitulum, valet praescriptum can. 2271, n. 1, nisi interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari et Horas canonicas recitari in alia Ecclesia aut Oratorio;

« 2. Si Ecclesia fuerit paroecialis, servetur praescriptum cit. can. 2271, n. 2, nisi interdicti decretum aliam Ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat » (l. c., § 3).

338. — « Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa Ecclesia cathedralis; interdicta Ecclesia, interdicta sunt Sacella contigua, non vero Coemeterium; interdicto Sacello, non est interdicta integra Ecclesia, nec, interdicto Coemeterio, interdicta est Ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia Oratoria in Coemeterio erecta » (C. I. C. 2273).

ARTICULUS VII.

De Campanis.

339. — « Cuilibet Ecclesiae campanas esse convenit, quibus fideles ad divina Officia aliosque religionis actus invitentur » (C. I. C. 1169, § 1).

Ex praescripto canonis campanae:

1. Non sunt stricte necessariae;

2. Inservire debent ad finem spiritualem nam res sacrae sunt.

Earum finis pulchre his exprimitur versiculis:

*Laudo Deum verum, plebem voco, congreco clerum,
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.*

Hinc « Earum usus unice subest ecclesiasticae auctoritati » (C. I. C. 1169, § 3) et ad hanc, non vero ad civilem auctoritatem, nec ad consilium fabricae Ecclesiae (l. c., 1184, 2^o) pertinet ius determinandi normas circa earum sonum qui etiam in sacris functionibus ita moderandum est ut aequi iustique fines non excedantur.

340. — Praeter synodales constitutiones, sequentes regulae generaliter servandae sunt circa campanarum sonum:

I. - Quando Sanctissima Eucharistia maximo apparatu et pompa infirmis defertur omnes Ecclesiae sive saecularium sive regularium, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, tenentur et debent solemniter pulsare campanas dum SS. Sacramentum, tam in eundo quam in redeundo, transit ante portas maiores et laterales earundem Ecclesiarum, vel etiam quando transit ante ianuam domus, conventus, monasterii, aedis paroecialis et capitularis quae respectivis Ecclesiis est adnexa (D. 2530).

II. - Ordinarius loci nequit Regularibus prohibere ne campanas pulsent antequam paroeciae campanae pulsentur.

III. - Ultimo triduo Maioris Hebdomadae nequeunt campanae pulsari.

IV. - Sabbato Sancto turris campanae non licet pulsari priusquam in Cathedrali vel in digniore loci Ecclesia pulsentur (DD. 36; 170; 405; 673; 738; 887 ad 1; 1079; 1138; 1440 ad 6; 1684 ad 3; 1842; 2799 ad 3) et ad hoc etiam Ecclesiae exemptae tenentur (D. 337).

V. - De mandato loci Ordinarii in quibusdam solemnitatibus vel in alio particulari casu etiam campanae Ecclesiarum exemptarum pulsandae sunt.

VI. - Tempore interdicti localis generalis, exceptis diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, SS. Corporis Christi et B. Mariae Virginis in coelum assumptae, campanarum sonitus prohibetur (C. I. C. 2270, § 2; 2271, 2^o).

341. — Campanae benedictae ad usus mere profanos adhiberi nequeunt nisi:

- I. - ex causa necessitatis;
 - II. - ex licentia Ordinarii;
 - III. - ex legitima consuetudine;
 - IV. - ob conditiones quae, probante Ordinario, appositae fuerunt ab illis qui campanas Ecclesiae forte dederunt (C. I. C. 1169, § 4).
- S. C. Concilii Decreto diei 20 Martii 1931 « mandat Parochis aliisque Ecclesiarum Rectoribus ut ipsi campanarum sacrarum usum in suis Ecclesiis ad normam Codicis Iuris canonici adamussim moderentur, requisita etiam tempestive et habita proprii Ordinarii licentia, si, gravi ex causa, sacrae campanae in usum non stricte religiosum sint quandoque adhibendae.

« Quod quidem mandatum ut ab omnibus, quorum interest, rite servetur, Ordinarii locorum vigilantiam atque curam omnem, statutis quoque canonicis poenis, impendant, atque inobedientes, si res ferat, ad hanc Sacram Congregationem deferant ».

342. — Consecratio et benedictio campanarum sunt, ex praecepto, faciendae iuxta ritum Pontificalis Romani, pro Ecclesiis consecratis; iuxta vero ritum qui in Ritualis Romani appendice continetur pro Ecclesiis benedictis tantum; et ad eos spectant qui ex iure loca sacra benedicere et consecrare possunt (C. I. C. 1169, § 2 et 5) ut sub n. 306 et 307 diximus.

ARTICULUS VIII.

De execratione deque violatione Ecclesiarum.

343. — Ecclesia per execrationem amittit totalem consecrationem vel benedictionem; per violationem vero, quamvis non amittat nec consecrationem nec benedictionem, tamen in ea divina Officia celebrari nequeunt antequam reconcilietur (C. I. C. 1173, § 1).

Triplici modo iuxta can. I. C. 1170 Ecclesia execratur:

- I. - per totalem destructionem;
- II. - si maior parietum pars simul et semel, idest eodem actu, corruerit vel mutata sit ut Ecclesia amplificetur;
- III. - si in usus profanos non sordidos ab Ordinario loci reducta sit, quia Ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi

potest et omnes aditus interclusi sunt ad eam reficiendam (Can. I. C. 1187).

344. — Quando aliqua Ecclesia ad profanos usus reducenda est vel destruenda, observari possunt quae trademus in Parte VII, excerpta ab instructionibus quae habentur in Actis Ecclesiae Mediolanensis (part. I, pag. 135) et ab aliis probatis auctoribus a consiliis datis.

345. — Ecclesia quatuor modis iuxta Can. I. C. 1172, § 1, violari potest:

I. - DELICTO HOMICIDII. — Quo nomine certe et suicidium comprehenditur; agitur de delictis quovis modo patrat, etsi absque sanguinis effusione ut per venenum.

Ad effectum violationis utrumque debet esse delictum seu « externa et moraliter imputabilis legis violatio cui adnexa sit sanctio canonica saltem indeterminata » (C. I. C. 2195, § 1). Hinc quoties homicidium non est iniustum nec patratum cum formali peccato non habetur casus violationis; item de amentium suicidio dicatur.

II. - INIURIOSA ET GRAVI SANGUINIS EFFUSIONE. — Hinc requiritur: grave peccatum agentis et propter eiusdem culpam copiosa sanguinis effusio patientis, etsi non sit totalis et intra Ecclesiam non eveniat. Ad violationis effectum sufficit ut causa intra Ecclesiae ambitum ponatur.

III. - IMPIIS ET SORDIDIS USIBUS QUIBUS ECCLESIA ADDICTA FUERIT. — Usus impius vel sordidus significat seriem seu repetitionem sive continuam sive interruptam earundem actionum, quae sanctitati domus Dei repugnant.

Actiones impiae sunt: cultus superstitiosus, choreae inhonestae, repraesentationes comoediarum inhonestarum; sordidae vero: si Ecclesia per aliquot tempus vel in hospitium militare vel in animalium stabulum convertatur.

IV. - SEPULTURA INFIDELIS VEL EXCOMMUNICATI POST SENTENTIAM DECLARATORIAM VEL CONDEMNATORIAM.

Nomine *infidelis*, idest non habentis veram fidem, non veniunt filii christianorum non baptizati nec catechumeni. « Vox *excommunicati* canonis 1175 (1), licet simpliciter et sine addito adhibita, evidenter intelligenda est de excommunicato vitando; excommunicatus enim toleratus licet sententia declaratoria aut condemnatoria

(1) « Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati vel infidelis ne reconcilietur antequam cadaver exinde removeatur, si remotio sine gravi incommodo fieri potest ».

accesserit, non necessario exhumandus est, et a sacro loco removendus ut expresse deducitur ex canone 1242 (1). Qui canon evidenter cum canone 1175 connexionem habet. Item canon 1172 § 1, 4^o (2) videtur intelligendus non de sententia declaratoria aut condemnatoria qualicumque sed de sententia qua quis condemnatur vitandus ad normam eiusdem can. 1242 » (P. Matthaeus a Coronata O. M. C., *De locis et temporibus sacris*, pag. 29 in nota).

Ut Ecclesia violata recenseatur actibus supra recensitis requiritur ut iidem actus sint: *certi, notorii et in ipsa Ecclesia positi* (C. I. C. 1172, § 1).

CERTI seu dubium prudens sive iuris sive facti excludentes, et quidem graviter mali;

NOTORII sive notorietatis iuris sive facti. Notorietas iuris habetur per iudicis sententiam publicatam, quamvis sententia haec ad populi cognitionem numquam veniat. Si actus occultus postea publicetur, Ecclesia ex momento publicationis violata censenda est;

IN IPSA ECCLESIA POSITI scilicet in Ecclesia proprie dicta, non vero in Sacrario, in porticu, in officialium cubiculo, in aula capitulari Ecclesiae adnexa etc.; Ecclesia comprehendit Cappellas internas, Chorum, organi locum, Cryptam.

346. — « In violata Ecclesia, antequam reconcilietur, nefas est divina celebrare Officia, Sacramenta ministrare, mortuos sepelire » (C. I. C. 1173, § 1).

Si violatio accidat tempore divinatorum Officiorum haec statim cessent, et ideo:

I. - Si publice recitetur aliqua Hora canonica, statim recitatio vel cantus abrumpi debet.

II. - Si Missa celebratur, tunc Celebrans si ante Canonem vel si Communionem sub utraque Specie sumpserit, Missa dimittatur; si infra Canonem, Missam prosequatur usque ad Communionem inclusive (l. c., § 2).

Ex analogia:

I. Si Sacramenta administrantur, Minister abrumpere debet preces et caeremonias quae ante vel post Sacramenti collationem habentur; si vero formam pronunciat, eam absolvere debet;

(1) « Si fieri sine gravi incommodo queat, cadaver excommunicati vitandi qui, contra canonum statuta, sepulturam in loco sacro obtinuit, exhumandum est, servato praescripto can. 1214, § 1, et in loco profano de quo in can. 1212 reponendum ».

(2) « Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ».

2. Si SS. Sacramentum in Altare expositum sit, absque ullo ritu reponatur;

3. Si preces exequiales vel aliae Functiones celebrantur, hae statim cessent.

Per violationem Ecclesiae, indulgentiae huic adnexae non amittuntur (S. C. Indulg. 18 Sept. 1862).

ARTICULUS IX.

De reconciliatione Ecclesiarum.

347. — RECONCILIATIO est ritus sacer quo Ecclesia certe violata divino cultui restituitur. Si dubium iuris vel facti exstet num Ecclesia sit violata, reconciliari potest, non vero debet, ad cautelam (C. I. C. 1174, § 2).

Hic ritus peragendus quam citissime poterit (l. c., § 1) et continetur in Pontificali Romano pro Ecclesia consecrata, in Rituali Romano pro Ecclesia benedicta.

348. — Ius reconciliandi Ecclesiam consecratam spectat ad Ordinarium territorii in quo Ecclesia reperitur, dummodo non agatur de Ecclesia ad religionem clericalem exemptam pertinente, quo in casu eius reconciliatio spectat ad Superiorem maiorem, facta eiusdem potestate delegandi alium Sacerdotem (C. I. C. 1176, § 2).

In casu autem gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius territorii vel Superior maior, pro Ecclesia exempta, adiri nequeat, Rectori Ecclesiae consecratae tantum, non alii Sacerdoti etiam aliqua ecclesiastica dignitate insignito, eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario territorii vel Superiore maiore pro re (C. I. C. 1176, § 3).

CAPUT XXXII.

DE ORATORIIS

ARTICULUS I.

De Oratoriis generatim.

349. — « Oratorium est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam » (C. I. C. 1188, § 1).

Hinc, ut diximus sub n. 310, Oratorium ab Ecclesia differt ob erectionis finem, nam Ecclesia omnibus christifidelibus usui est,

Oratorium vero vel usui tantum determinatis personis privatis vel in commodum alicuius personae moralis aut collegii.

350. — Oratorium tripliciter distinguitur: *publicum, semi-publicum, privatum* seu *domesticum*:

ORATORIUM est « PUBLICUM si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum Officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi;

« SEMI-PUBLICUM si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire;

« PRIVATUM SEU DOMESTICUM si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit » (C. I. C. 1188, § 2, 1º, 2º et 3º).

ARTICULUS II.

De Oratoriis publicis.

351. — Ex definitione Oratorii publici supra allata (v. n. 350) patet Oratorium publicum esse si omnes fideles pleno iure gaudent illud adeundi, sive quovis tempore, sive saltem divinorum Officiorum tempore, ergo tantum illud Oratorium publicum est cuius liber ingressus probari legitime potest, sed non requiritur ut ingressus pateat in publica via, potest enim esse et in atrio et in via privata et in agro privato.

352. — « Oratoria publica eodem iure reguntur quo Ecclesiae » (C. I. C. 1191, § 1). Idcirco quae dicta sunt de Ecclesiarum aedificatione, benedictione, consecratione, titulo, campanis, ecclesiasticis ritibus, execratione, violatione, reconciliatione et quae de ornatu dicemus, publicis quoque Oratoriis applicantur, sed animadvertendum est:

I. - Stricta obligatio praemittendi benedictionem et impositionem primarii lapidis non probatur.

II. - Sufficit sollemnis benedictio immo, iuxta aliquos Auctores, ubi habetur consuetudo non benedicendi Oratorium publicum minoris momenti haec videtur servari posse (Vermeersch, *Epit. nov. Cod.* II, 500; Wernz, *Ius Decr.*, III, n. 349; Many, *Prael. I. C.*, n. 72), sed omnino requiritur ut omnes Functiones iuxta praescriptum Rubricarum et Codicis Iuris Canonici celebrari possint.

III. - In Oratoriis publicis peragi possunt functiones quae sub n. 331 indicantur pro Ecclesiis, si excipias eas quae Ordinarius

loci in ipsa erectione, ex rationabili causa, forte excluserit, sed Ordinarius nequit mutare id quod ius commune praescribit vel concedit quoad publica Oratoria, nec post Oratorii erectionem arbitrarias apponere limitationes (Wernz, *l. c.*, III, n. 454).

In Oratoriis publicis lucrari possunt Indulgentiae ac si in Ecclesia essent.

ARTICULUS III.

De Oratoriis semi-publicis.

353. — Ex definitione Oratorii semi-publici, ea sunt Oratoria semi-publica quae pertinent:

I. - ad Seminaria et Collegia ecclesiastica;

II. - ad pia Instituta et Societates clericales et laicales;

III. - ad domus addictas exercitiis spiritualibus;

IV. - ad convictus et hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata;

V. - ad nosocomia, orphanotrophia;

VI. - ad carceres et arces (D. 4007);

VII. - Oratorium in navi, extra privata cubicula, censendum est ut semi-publicum;

VIII. - « Oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium, licet privata, fruuntur tamen omnibus iuribus et privilegiis quibus Oratoria semi-publica gaudent » (C. I. C. 1189).

Oratoria S. R. E. Cardinalium ab Ordinarii visitatione exempta sunt (C. I. C. 239, § 1, 18º).

354. — « In collegiis aut convictibus iuventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis etc., praeter Oratorium principale, alia minora ne erigantur, nisi Ordinarii iudicio, necessitas aut magna utilitas id exigat » (*l. c.*, 1192, § 4). Et etiam haec Oratoria ut semi-publica habentur.

355. — « Oratoria semi-publica erigi nequeunt sine Ordinarii licentia » (*l. c.*, 1192, § 1).

Ordinarii nomine, non solum Ordinarii locorum hic intelliguntur, sed etiam Ordinarii simpliciter, nempe Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis (v. n. 46, II), dummodo agatur de Oratoriis intra domum religiosam.

356. — « Ordinarius hanc licentiam ne concedat, nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum Oratorium visitaverit et decenter instructum repererit » (*l. c.*, 1192, § 2).

4213 ad 3. Utrum liceat accersere SS. Eucharistiam in altari baldachinuro habente, quamvis super illud habeatur cubiculum cum lectulo? — Negativus, ex Decreto n. 3525, 2
Jan 24 1908

152 Pars I. — De quibusdam notionibus s. liturgiam respicientibus

Ordinarius ad hanc inspectionem tenetur ut se certiore faciat si omnia iuxta praescriptum Canonum et Decretorum disposita sint nempe:

a) si locus Oratorii muro extractus sit;
b) si necessaria et apta supellex praesertim ad Sacrosanctum Missae Sacrificium non deficiat;

c) si Altari imposita sit ampla umbella, cum supra Oratorium extant cubicula ad dormiendum (D. 3525 ad 2); 4213, ad 3

d) si Oratorium a domesticis usibus liberum sit (C. I. C. 1196, § 2) scilicet « ut non sint ibi armaria rebus profanis condendis destinata, ut non sint ibi utensilia ad laborandum, mensa ad scribendum, ut non per Oratorium transiri soleat ad alia cubicula, etc. » (P. Matthaes a Coronata, *De locis et temporibus sacris*, pag. 94) nam Oratorium debet esse divino tantum cultui reservatum (C. I. C. 1196, § 2).

« Data autem licentia, Oratorium ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate » (l. c., 1192, § 3).

357. — « In Oratoriis semi-publicis, legitime erectis, omnia divina Officia Functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstant rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit » (l. c., 1193).

I. - Functiones quae a rubricis prohibentur sunt:

A) omnes Functiones paroeciales;

B) Functiones quae absque rubricarum diligentia, quacumque de causa, celebrari nequeunt.

II. - Ordinarius excipere potest Functiones tantum quorum prohibitio iuri communi non repugnat v. g. prohibere potest benedictionem mulieris post partum, benedictionem solemnem cum SS. Sacramento in Ostensorio, cantum Vesperarum, Missam solemnem et cantatam, sed prohibere nequit satisfactionem praecepto iis qui ibi Missae assistunt.

III. - SS. Eucharistiae et Poenitentiae administratio, dummodo iuris praescripta serventur, ordinarie ibi permittitur.

IV. - Sine recursu ad Ordinarium Parochus ibi Matrimonium celebrare potest, sed in Oratoriis Seminarii et Religiosarum ne celebretur absque permissione Ordinarii qui, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis, id ne permittat (C. I. C. 1109, § 2).

V. - Feria V in Coena Domini, quamvis Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto Functiones non peragantur, permittitur, ianuis clausis, una Missa privata ad Communionem administrandam in Oratoriis religionum votorum solemnum utriusque sexus (D. 2799 ad 1) et etiam, iuxta probatos Auctores, in omnibus Ecclesiis et

Oratoriis Communitatum locorum piorum, in quibus SS. Eucharistia asservatur.

358. — Oratorium semi-publicum, quamvis aliquo speciali casu, obtentis cautionibus de vitanda profanatione, consecrari possit, non necessario sollemniter benedicendum est, sed sufficit ut communi benedictione locorum domorumve benedicatur (l. c., 1196, § 2).

359. — Si Oratorium sit consecratum, quotannis celebrandum est Festum anniversarium Dedicationis eiusdem sub ritu duplici primae classis cum Octava communi, et sub eodem ritu recolendum est Titularis Festum (DD. 3471; 4025 ad 5).

Si Oratorium sit solemniter benedictum, Festum Titularis tantum sub ritu supra memorato celebrandum est; et, si agatur de Oratorio piarum Communitatum, sit Oratorium principale, deficiente Ecclesia (D. 4192 ad 3).

360. — In Oratoriis semi-publicis, nisi speciale adsit privilegium, Calendarium loci seu Dioeceseos adhibendum est (DD. 3910; 3919 ad 17; 3927 ad 1; 4248 ad 3).

Quae diximus de violatione et execratione Ecclesiarum, Oratoriis semi-publicis, consecratione dedicatis, applicanda sunt.

ARTICULUS IV.

De Oratoriis privatis seu domesticis.

361. — Ad Oratoriorum privatorum seu domesticorum speciem, iuxta definitionem supra allatam (v. n. 349), pertinent etiam:

I. - Oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentiarum sive titularium quamvis gaudeant omnibus iuribus et privilegiis quae propria sunt Oratoriorum semi-publicorum (C. I. C. 1189).

II. - Aediculae in Coemeterio erectae a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam (l. c., 1190).

362. — Oratoria privata in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae eriguntur ex indulto Apostolico, quod conceditur per Breve in proprio Secretariae Status officio redigendum, praevia informatione Ordinarii loci circa merita oratorum, decentiam domus et Oratorii, etc.; preces vero peragendae sunt per Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum. Decet ut oratores ad hanc S. Congregationem petitionem mittant per tramitem Ordinarii loci, eo magis quia indultum generatim ad eundem dirigitur. « Ab hac tamen lege eximuntur Sacerdotes vel senio vel morbo affecti qui solvendo pares non sint. Ad hos gratia mittitur forma rescripti et

ad normas huius legis c. XI Norm. com.» (Norm. pec. ad const. «*Sapienti consilio*», c. VII, art. III, n. 14).

363. — In Oratoriis ita erectis et ab Ordinario vel ab eius Delegato visitatis et probatis, nisi aliud in Apostolico indulto caveatur, singulis diebus unica Missa lecta, non vero solemnis aut in cantu celebrari potest, exceptis Festis solemnioribus (C. I. C. 1195, § 1) praesente indultario. Si necessitas urgeat, v. g. ad Viaticum administrandum, alia Missa celebrari potest, etiam absente indultario (D. 2745 ad 7).

Sacerdos, sive regularis sive saecularis, in Oratorio privato uti debet proprio Calendario (DD. 3862; 3910; 4248).

Missa in Oratoriis privatis prohibetur:

1. In ultimo triduo Maioris Hebdomadae;
2. In Solemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Pentecostes;
3. In Festis Assumptionis et Conceptionis Immac. B. Mariae V.;
4. In Festis S. Ioseph Sp. B. Mariae V. (19 Martii) et Ss. Apostolorum Petri et Pauli;
5. In Festo Omnium Sanctorum;
6. In Festo Patroni principalis loci, dummodo cum feriatione celebretur.

«Ordinarius vero, dummodo iustae adsint et rationabiles causae, diversae ab eis ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus Festis permittere potest per modum actus Missae celebrationem» (C. I. C. 1195, § 2).

364. — In Oratoriis privatis praeter Missae celebrationem, aliae Functiones ne fiant (C. I. C. 1195, § 1), sed potest:

- I. - Sacra Communio distribui omnibus christifidelibus qui Missae adsistunt, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit (*l. c.*, 869; D. 4201).
- II. - Baptismus solemniter administrari «si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit» (C. I. C. 776, § 1, 2^o).
- III. - Poenitentiae Sacramentum pro viris certe administrari; ac pro mulieribus saltem extraordinarie de licentia Ordinarii, modo sedes, crate fixa instructa sit (*l. c.*, 909 et 910).
- IV. - Matrimonium et Missa nuptialis celebrari de Ordinarii licentia (*l. c.*, 1109, § 2).
- V. - Iuxta probatissimos Auctores, ex Ordinarii loci licentia, benedictio mulieris post partum impertiri.

Functiones extraliturgicae, ex. gr. Rosarii recitatio, praxis devota pro mense Mariali, preces novendiales etc., quamvis a Sacerdote praesideantur, prohibita non sunt.

365. — «Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae nequeunt in aedibus vel Oratoriis privatis asservari, sine expressa Ordinarii loci licentia» (*l. c.*, 1282, § 1).

ARTICULUS V.

De Aediculis quae in Coemeteriis aedificantur.

366. — Aediculae in Coemeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam aedificatae, eriguntur ab Ordinario loci qui permittere potest in illis celebrationem plurium Missarum eodem die (C. I. C. 1190; 1194).

«Ordinarius hanc licentiam ne concedat nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum Oratorium visitaverit et decenter instructum repererit» (*l. c.*, 1192, § 2).

Visitor praesens oculis habeat praescriptum canonis 1202, § 2: «Subtus Altare nullum sit reconditum cadaver; cadavera autem quae prope Altare sepulta forte sunt, distent saltem spatio unius metri; secus Missam in Altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur».

Verba *subtus altare* designant, iuxta probatos Auctores, in sensu obvio Altaris mensam (C. I. C. 1197) non vero pavementum super quod Altare exstat, et ideo Missam celebrare licet in Altari quod exstat super cryptam in qua cadavera, etsi in linea recta humata sunt sub eodem Altari tantum separato per lapideam cameram ipsius cryptae (D. 4100 ad 5). Distantia unius metri, a canone super allato requisita, sumi debet in omni directione considerata in superficie pavimenti Altaris.

367. — In huiusmodi Aediculis Missae de Requie prohibentur tantum:

1. In Dominicis et Festis de praecepto licet suppressis;
 2. In duplicibus I vel II classis etiam translatis;
 3. In Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes;
 4. In Feria IV Cinerum et Feriis II, III, IV Maioris Hebdomadae;
 5. Infra quascumque Octavas privilegiatas etiam III ordinis.
- Omnes qui in his Aediculis Missae adsunt praecepto de audiendo Sacro satisfaciunt (C. I. C. 1249).

CAPUT XXXIII.
DE ALTARIBUS

ARTICULUS I.

De quibusdam generalibus notionibus.

368. — Altare *stricto et liturgico sensu* est tabula lapidea consecrata super qua sacrosanctum Missae sacrificium celebratur; *lato sensu* est tabula lapidea consecrata et super basim collocata supra qua Missae sacrificium celebratur.

369. — Ratione structurae et consecrationis binae Altarium species habentur: *immobile* seu *fixum*, *mobile* seu *portatile*.

ALTARE IMMOBILE SEU FIXUM *liturgico sensu* est mensa superior una cum stipitibus per modum unius cum eadem consecratis (C. I. C. 1197, § 1, 1^o).

ALTARE MOBILE SEU PORTATILE, pariter *liturgico sensu*, est petra, ut plurimum, parva, quae sola consecratur, quaeque dicitur etiam ARA PORTATILIS SEU PETRA SACRA; vel eadem petra cum stipite qui tamen non fuit cum eadem consecratus (l. c., § 1, 2^o).

Diximus *immobile* seu *fixum* *liturgico sensu*, nam intelligendum est non relate ad pavementum seu locum super quo Altare exstat, sed relate tantum ad basim quae cum mensa unum corpus consecratum efficit; ergo haberi potest Altare fixum *liturgico sensu*, quod sensu vulgari amoveri possit, dummodo mensa a basi non separetur. E contra Altare mobile seu portatile *liturgico sensu* esse potest, sensu vulgari, fixum, scilicet quando petra sacra stabili modo adhaereat super aliqua mensa quae una cum basi amoveri nequit a pavimento.

370. — Ratione honoris habetur: Altare *maius*, *privilegiatum* et *papale*.

I. - Si in Ecclesia plura adsunt Altaria illud quod ordinarie exstat in capite eiusdem Ecclesiae e regione portae primariae, dicitur *maius*, alia *minora*.

II. - Altare dicitur *privilegiatum* quod specialibus gaudet Indulgentiis.

« Per Indulgentiam Altari privilegiato adnexam, si spectetur mensa concedentis et usus clavium potestatis, intelligenda est Indulgentia plenaria, quae animam statim liberat ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus intelligenda est Indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet » (S. C. Indulg. die 28 Iul. 1840).

« Episcopi, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii ac Praefecti Apostolici et Superiores maiores religionis clericalis exemptae, possunt designare et declarare unum Altare privilegiatum quotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis Ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus, quasi-paroecialibus, non autem in Oratoriis publicis vel semi-publicis, nisi sint Ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria » (C. I. C. 916).

« Die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, omnes Missae gaudent privilegio ac si essent ad Altare privilegiatum celebratae » (C. I. C. 917, § 1).

Pius XI benignissime indulget « ut durante Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum octavario, Missae omnes in quocumque Altari et a quocumque Sacerdote celebratae habeantur tanquam privilegiatae, pro anima tamen cui applicantur » (Decr. S. Poenit. Ap. diei 31 Octobr. 1934).

« Omnia Altaria Ecclesiae per eos dies quibus in ea peragitur supplicatio Quadraginta Horarum sunt privilegiata » (C. I. C. 917, § 2).

« Ut indicetur Altare esse privilegiatum, nihil aliud inscribatur, nisi: *altare privilegiatum*, perpetuum vel ad tempus, quotidianum vel non, secundum concessionis verba. Pro Missis celebrandis in Altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi Missae eleemosyna » (l. c., 918).

III. - Altare *papale* illud est in quo tantum Romanus Pontifex celebrare potest vel alius de eiusdem indulto singulis vicibus obtinendo.

ARTICULUS II.

De materia, structura deque Altarium sepulcro.

371. — In Altari tria consideranda sunt elementa: *materia* ex qua conficiendum; *structura* qua extruendum; *sepulcrum* in quo Sanctorum Martyrum Reliquiae condendae.

I. - MATERIA. — Iuxta Pontificale Romanum, Decreta S. R. Congregationis et Codicem Iuris Canonici, mensa Altaris immobilis et Petra sacra, seu Altare mobile, constare debent ex unico lapide *naturali*, *integro* et *non friabili* scilicet:

1. non ex materia quam *coementum armatum* vocant, nam materia haec non est lapis naturalis;

2. nec ex pluribus lapidibus ad modum unius unitis;

3. nec tandem ex gypso aut ex pomice, quia sunt materia friabilis (DD. 2862 ad 1; 3674 ad 2 et 3; 4145 ad 1; C. I. C. 1198, § 1).

II. - STRUCTURA. — « In Altari immobili tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendi debet, et apte cum stipite cohae-

rere; stipes autem sit lapideus vel saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide » (C. I. C. 1198, § 2).

Quamvis a canone non determinetur cohaesionis qualitas, tamen expedit ut coemento mensa basi adhaereat.

Basis esse potest ex muro lateritio, dummodo columellae quae verum stipitem efformant lapideae sint ita ut unctiones a Pontificali Romano praescriptae fiant immediate super mensa et stipite lapideo eam sustentante (D. 4073 ad 1).

Ut Altare fixum consecrari possit requiritur ut sit plenum, et ad hoc sufficit ut tabula Altaris innitatur super quatuor lateribus ita clausis ut post consecrationem nihil intra Altare immitti possit quamvis subter idem Altare vacuitas habeatur (D. 3282).

Consecrari etiam possunt Altaria fixa ita ordinata ut « tabula lapidea super stipitem itidem lapideum ex utraque parte ponatur, relicto in medio spatio quodam vacuo, sub quo recondantur Capsae sacrarum Reliquiarum ita commode dispositae, ut oculis fidelium, diebus saltem solemnioribus, appareant » (D. 3126) et alia Altaria fixa « quae omni ex parte super stipitem reponuntur, sed ab anteriori parte columnolis nituntur, quae stipitis locum habent circiter ad medietatem tabulae », « dummodo omni ex parte stipitibus adhaereant » (l. c.).

Altare « quod undequaque per se stat, et cuius mensa marmorea sustentatur a quatuor columellis item marmoreis; subtus vero est omnino vacuum, nec destinatur, prout in casu Decreti n. 3741, Tridentina, 20 Decembris 1890, ad recipiendam arcam ligneam paramentis servandis, « consecrari ut fixum potest » dummodo quatuor columellae talem soliditatem exhibeant, qua Altare nullimode moveri possit » (D. 4225 ad 1).


Latitudo mensae Altaris fixi, a fronte ad candelabrorum gradum oportet sit circiter septuaginta centimetra, eius longitudo ad Ecclesiae et Sacelli mensuram dimetiatur nempe e metris tribus ad metrum unum et centimetra circiter septuaginta; altitudo tandem a suppedaneo planitiae metrum unum sit aut unum metrum et vix aliquot centimetra.

Suppedaneum pro Altaribus in genere longitudinem non excedat mensae Altaris, sed inferiores gradus suppedaneum et mensam ipsam circumeant. Sint oportet gradus et suppedaneum aequalis altitudinis, quatuordecim circiter centimetra; suppedaneum, quod et dicitur predella, latitudinis circiter septuaginta centimetra.

« Petra sacra sit tam ampla ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat » (C. I. C. 1198, § 3). Eius forma esse potest sive quadra sive

rectangularis. Mensura quam Rubrica Missalis (Rub. Gen. Tit. XX) et Codex Iuris Canonici in supra allato canone exigit, minima est, sed expedit ut aliquantulum amplior sit ut continere possit etiam Pyxidem et Capsulam pro Hostia expositionis. In Visitatione Apostolica, anno 1904, Romae habita praescriptum fuit: « Altaria portatilia debent esse ad minus triginta tria longitudinis et viginti sex centimetrorum latitudinis ». Haec Altaria mobilia quinque saltem centimetrorum spissitudinis habeant.

Petra sacra in medio mensae collocanda est ita ut eius distantia centimetra decem non excedat labio anteriori ipsius mensae et emineat aliquantulum ut a Celebrante eius limites facile dignosci possint; si Petra quadratam formam non habeat tunc collocanda est inversa ratione ac prostat ipsa mensa ut ex sequenti figura apparet.



III. — SEPULCRUM. — « Tum in Altari immobili tum in Petra sacra sit, ad normam legum liturgicarum, Sepulcrum continens Reliquias Sanctorum, lapide clausum » (C. I. C. 1198, § 4). Sepulcrum, de quo in canone, est parvus locus intra lapidem effossus, clausus cum parvo operculo ex lapide quoque confecto (D. 3162 ad 2). Sepulcrum Altaris portatilis in medio tabulae effodiendum est (D. 3671 ad 2; et 4032 ad 3) et mensura cuiusque lateris esse potest circiter septem centimetrorum, profunditatis vero mensura sit spissitudini eiusdem tabulae conveniens. In hoc Sepulcro Sanctorum Reliquiae reconduntur (non praescribitur Capsula) cum tribus incensi granibus.

Ad validitatem consecrationis Altaris sufficit ut in Sepulcro includantur vel Reliquiae unius Martyris cum Ss. Confessorum aut Virginum Reliquiis, non vero Beatorum, vel unius tantum Martyris (D. 4180 ad 3), sed ad normam legum liturgicarum in eo poni debent Reliquiae duorum Martyrum, nam in formula instrumenti consecrationis a Pontificali Romano proposita legitur: ... et Reliquias San-

clorum Martyrum N. et N...; in Oratione: *Oramus te Domine*, etc. dicitur: ... *Sanctorum tuorum quorum Reliquiae hic sunt*...

Sepulcrum Altaris fixi generatim effoditur in medio mensae, sed effodi potest in stipite sive a parte anteriori sive a parte posteriori vel in alterutro latere vel etiam in parte superiori stipitis, super quam poni debet mensa ipsa Altaris.

Non est necessarium Sepulcrum, ultimo modo effossum, claudi cum operculo, cum ipsa tabula seu mensa Altaris in casu Sepulcrum claudat. Quamvis Sepulcrum hoc tutissimum sit, tamen aptissimum non est, nam claudendum est in actu consecrationis.

Mensura Sepulcri Altaris fixi determinatur a quantitate et dimensione Reliquiarum quae in Capsula, formae quadrae ex lamina plumbea vel argentea, intus et extra perpolita, includuntur una cum tribus incensi granibus et instrumento consecrationis in pergama charta scripto ac munienda sigillo illius ad quem consecratio pertinet. Generatim mensura cuiusque lateris Sepulcri est circiter quindecim centimetrorum, profunditas octo circiter. *6^{us} 3^{us} sup.*

Etiam si subter Altari Corpus alicuius Sancti sit, semper in praedicto Sepulcro Reliquiae claudantur (D. 3330).

ARTICULUS III.

De Altarium consecratione deque eorum execratione.

372. — Altare super quo Missa celebratur, sive fixum sive mobile, consecrandum est iuxta ritum praescriptum in Pontificali Romano, vel etiam in Ritualis Appendice, si agatur de Altari execrato (C. I. C. 1199, § 1; 1200, § 1 et 2, 1^o et 2^o).

Ad quos locorum consecratio spectat (v. n. 306), spectat etiam consecratio Altaris sive fixi sive mobilis.

Aras portatiles, salvis peculiaribus privilegiis, omnes Episcopi consecrare possunt (l. c., 1199, § 2).

373. — ALTARIS EXECRATIO est totalis amissio consecrationis. Altaria tum fixa tum mobilia consecrationem amittunt:

I. - « Si frangantur enormiter sive ratione quantitatis fractionis sive ratione loci unctionis » (l. c., 1200, § 2, 1^o).

Fractura est enormis vel ratione quantitatis vel ratione loci unctionis.

1. Ratione quantitatis:

a) In Altari mobili quando pars fracta non est capax continendi Hostiam cum maiore parte Calicis;

b) In Altari fixo, si mensa divisa est per medium sive fere per medium quamvis utraque pars continere possit Calicem, Patenam et Hostiam.

2. Ratione loci unctionis: si magna pars locorum consecratorum frangatur et scissura maxime afficiat Reliquiarum Sepulcrum, atamen definitio fracturae enormis relinquenda est Episcopi iudicio.

II. - Si amoveantur Reliquiae, excepto casu quo ipse Episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum aut ad easdem visitandas (l. c., n. 2).

III. - Si amoveatur Sepulcri operculum, excepto casu de quo supra, diximus sub II (l. c.).

IV. - Praeterea Altare immobile amittit consecrationem si tabula seu mensa separetur a stipite etiam per temporis momentum, etiam si ad reponendum cementum aut addendos et mutandos lapides, « quia consecratio Altaris fixi censetur esse in coniunctione mensae lapideae nempe tabulae superioris ac inferioris structurae; hinc si lapis vel tabula superior removeatur ab inferiori, vel ab ipsa lapides eandem immediate tangentes, censetur execrari; non item si alii lapides inferiores lapidem vel tabulam superiorem principaliter consecratam immediate non tangentes amoveantur et aliis substituantur, Altari in debita altitudine adhuc remanente etsi successive omnes lapides taliter inferiores auferantur » (Relfi, *Ius Canonicum*, L. III, Tit. 40, n. 38).

Si vero mensa a quatuor columellis sustentata, ab una vel a duabus tantum separetur columellis per temporis momentum, ex hoc Altare consecrationem amittere non videtur, quia ad essentiam consecrationis non omnes requiruntur unctiones (DD. 3771; 4244 ad 1 et 2); si, facta unctione super duas columellas, Altare valide consecratum habetur, ita etiam dicendum est consecrationem non amittere, duarum columellarum unctione remanente.

374. — Execratorum Altarium consecratio per formulas breviores in Appendice Ritualis Romani descripta, perfici potest etiam a Sacerdote delegato a loci Ordinario, non ex propria, sed ex apostolica auctoritate, ut patet ex facultatibus quinquennialibus quae Ordinariis petentibus ab Apostolica Sede concedi solent (C. I. C. 1200, § 1; Rit. Rom., App. I et II; Index facultatum quinquen. v. *Monitore ecclesiastico*, an. 1925, pag. 133).

« Execratio Ecclesiae non secumfert execrationem Altarium sive immobilium sive mobilium; et viceversa » (C. I. C. 1200, § 4); ratio est quia agitur de duobus omnino distinctis consecrationibus.

ARTICULUS IV.

De Altarium Titulo.

375. — « Sicut Ecclesia, ita quodlibet etiam Ecclesiae Altare, saltem immobile, proprium sibi Titulum habeat » (C. I. C. 1201, § 1).

Ex praescripto canonis huius pro Altari immobili obligatio habendi Titulum adest; pro Altari mobili obligatio convenientiae tantum, ut patet ex vocabulo *saltem*.

Titulus generatim pro Altaribus fixis eligitur in ipsa consecratione et mutari nequit; electio haec ad Ordinarium pertinet, sed conveniens est, praesertim si agatur de Altari erecto expensis alicuius privati benefactoris, ut Episcopus eiusdem optata expleat.

« De Ordinarii licentia mutari quidem potest Altaris mobilis non autem Altaris immobilis titulus » (C. I. C. 1201, § 3).

Circa Personas aut Mystera quae Titulo fungi possunt, eadem valent quae de Ecclesiarum Titulo diximus (v. n. 328).

« Altaria Beatis, etiam in Ecclesiis et Oratoriis quibus eorum Officium et Missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto » (C. I. C. 1201, § 4).

376. — « Tituli imago super Altari absolute non praecipitur. Si tamen quaedam esset apponenda Altari fixo, imago Tituli apponatur » (D. 4191 ad 4).

In eadem Ecclesia plura Altaria nequeunt eundem habere Titulum (DD. 3723 ad 3; 3732; 3791); sed idem Titulus haberi dici nequit si ex. gr. unum Altare dedicatum sit Mystero Annuntiationis B. M. V. et aliud B. Mariae V. de Mercede.

377. — « Altare tum immobile tum mobile debet esse divinis tantum officiis et praesertim Missae celebrationi reservatum, quolibet profano usu prorsus excluso » (C. I. C. 1202, § 1).

Cum Altare Sanctorum Reliquias contineat et Christum repraesentet immo Christum verum recipiat, maxima erga illud reverentia adhibenda est. Et ideo super eo « nihil omnino ponatur, quod ad Missae sacrificium vel ipsius Altaris ornatum non respondeat » (Rubr. Gen. Miss. xx), non solum divinorum tempore Officiorum, sed etiam extra id tempus.

« Subtus Altare nullum sit reconditum cadaver; cadavera autem quae prope Altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in Altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur » (l. c., 1202, § 2). De qua prohibitionem iam diximus sub n. 365.

CAPUT XXXIV.

DE ORNATU ECCLESIAE ET ALTARIUM

ARTICULUS I.

De Ecclesiae ornatu.

378. — Primus et maximus Ecclesiae ornatu est illa munditia quae domum Dei decet. Propterea sacrae aedes quotannis, a solo ad summas partes, a peritis operariis, diligenti adhibita cura, a pulvere et a telis aranearum expurgentur atque a vitreis fenestris sordes excutiantur; columnarum bases, et opus e marmore vel e petra quacumque dilucida fiant aqua.

Saepe, praesertim in solemnitatibus Vigiliis et die Festum subsequente, pavimenta verrantur, Chori et Ecclesiae sedilia, genuflexoria, confessionalia, mensae et Sacrae armaria, Altarium gradus ac balaustra, frustis adhibitis expoliantur, aquae benedictae vasa, fenestrae vitreae, quae minus altae emundentur.

Non minus curanda est exterius sacrarum aedium expolitio; atrium et frons earundem emundentur.

Oportet etiam ut quotannis artis murariae magister Ecclesiam perlustret, ad videndum utrum intrinsecus vel extrinsecus refici indigeat.

379. — Quamvis Sacristae proprium sit munus ut Ecclesia omni ex parte sit munda, maxime tamen decet eritque valde opportunum, ubi scilicet fieri possit, « praesertim in Ecclesiis maioribus et opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curae sit, ut Ecclesia continuo in omni eius parte munda sit et expolita tam in pavimento quam in parietibus, columnis et laquearibus » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 25).

Curandum etiam illi erit Ministro ne permittat per Ecclesiam discurrere puerulos Divina Officia perturbantes, sed maxime curandum ne Sacris assistant mulieres quarum vestiendi ratio ad pravitatem morum augendam tantopere confert.

380. — « Sicut in anniversariis solemnitatibus sanctioribus celebratibus festiviis canimus laudes, solemnissimeque ecclesiastica celebrantes Officia, modulamur organis, pretiosiorique vestium apparatu induimur, ita diligenter nos domus Dei decorem, et locum habitationis gloriae eius, curare debemus, ut quo spiritalis laetitiae

nostrae manifestiora signa demus, divinorum beneficiorum, quae iis potissimum solemnitatibus recolimus, memoria excitati, Templum etiam ornatiore, quam aliis diebus appareant tum ad augustiorem cultum tum ad fidelium consolationem» (Ex Concil. V provinc. Mediolanensi, caput: «*Quae ad dies festos*»).

381. — Sed in Ecclesiae ornatu nonnulla inconvenientia quae, etiam aetate nostra, vel insipientiae causa, vel ob artium imperitiam, iam praevalent, vitanda sunt.

In primis curent omnes ad quos pertinet, ut apparatus, etiam si praecellenti decoris, non deturpent sacras aedes pulchrarum artium operibus saepissime insignes, nam apparatus exornare et non Ecclesias deformare debet, immutando vel perturbando structurae genus. Propterea improbanda sunt ornamenta omnia, quamvis haec integra serica sint, quae coronas, fornices, capitella, mensulas, bases contegunt; eo magis si obtegunt vel columnas vel parietes pretioso marmore inductas, vel picturas vel statuas singulari opere artificioque perfectas. Vitanda quoque est magna peristromatum colorum varietas, quae et Sacrae Liturgiae gravitati ac dignitati et domus Dei decori atque artium elegantiae non convenit; itaque in omnibus ornamentis ruber color praevaleat.

De ornamentis ex tela gossypina, vel alia huiusmodi, ne verbum quidem; haec igitur profanis relinquuntur festis.

382. — Exornetur potius Ecclesia cereis non paucis convenienter dispositis vel in conspicuis lampadibus vel in decoris candelabris.

Quamvis a S. R. Congregatione cerei ficti ex metallo, in quibus machina quadam introducitur parvus cereus, tolerantur (D. 3448 ad 13), tamen in Ecclesiis, praesertim insignioribus, non huiusmodi cerei adhibeantur nec alii ficti cerei, sive ex metallo sive ex alia materia, in quorum summitate, saepe absque ulla peritia, brevior cereus adiungitur, ita ut non Ecclesiae et Altaris ornamentum sed deturpatio cerei isti appareant.

383. — In praecipuis solemnitatibus etiam Ecclesiae «ornandae erunt valvae floribus, ramis et frondibus virentibus, bracteolis, aut fasciis diversi coloris, appensis vel colligatis, quo splendidius pro locorum consuetudine, ac temporum qualitate, fieri poterit; supra vero portae superliminare Imago Sancti vel Sanctorum, quorum dies Festus agitur, pariter ornata, et sub illis insignia Summi Pontificis, Legati, Cardinalium, aut Nuntii Apostolici, Episcopi, Reipublicae Principis aut Civitatis, pro libito ponentur, servando in eorum positione ordinem Dignitatum: inferioris vero ordinis homi-

num, maxime laicorum, insignia non sunt apponenda» (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 3).

384. — Ecclesiarum Rectores circa usum lucis electricae animadvertant sequentia:

Super Altare praeter candelas ex cera tolerari nequit ut habeatur etiam illuminatio electrica (D. 4097); nam lux electrica adhiberi nequit ad cultum, sed adhiberi potest ad depellendas tenebras Ecclesiasque splendidius illuminandas; cauto tamen ne modus speciem praeseferat theatricam (D. 3859).

Vetita omnino est lux electrica loco candelarum vel lampadarum quae coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento vel Sacris Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt.

Pro aliis Ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica ad prudens Ordinarii iudicium permittitur (D. 4206), «minime vero ad Ecclesiarum Rectorum arbitrium. Quinimo absolute interdictur quibuscumque Ecclesiarum Rectoribus ne, in scio Ordinario, huiusmodi facultate, proprio libito frui possint, uti saepe saepius evenire solet» (Eph. Liturg., an. 1928, pag. 215).

ARTICULUS II.

De Altaris maioris ornatu.

385. — Altare maius prae ceteris amplius altiusque esse debet, generatim collocatum super saltem tres gradus, vel ex marmore vel ex quacunque petra levigata, impari semper numero cum suppedaneo, ac sumptuosius ornatum.

386. — In Altari maiore regulariter custodiatur SS. Eucharistia, nisi aliud venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius et decentius videatur (C. I. C. 1268, § 2).

«Sed in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus in quibus ad Altare maius chorales Functiones persolvendae sunt, ne ecclesiasticis Officiis impedimentum afferatur, opportunum est ut sanctissima Eucharistia regulariter non custodiatur in Altari maiore, sed in alio Sacello seu Altari» (l. c., § 3).

Hic dicemus de ornatu Altaris maioris in quo non asservatur SS. Eucharistia.

387. — DE TOBALEIS. — Altaris mensa praeter *Chrysmale* seu «pannum lineum ceratum ad Altaris mensuram factum» (Pont. Rom., De Alt. Consecr.) operiatur tribus mappis seu tobaleis ex lino aut

cannabe confectis, mundis, benedictis, quarum superior ita longa esse debet ut ex utraque parte latera contegat et usque ad terram pertingat; circa allatam mensuram contraria consuetudo tollenda est. Duae aliae breviores esse possunt, et etiam sufficit una duplicata ita tamen ut regulariter totam mensam, si agatur de Altari fixo, rigore saltem Petram sacram, si de Altari mobili, cooperiat (Rubr. Gen. Miss. xx; Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 11; DD. 2600; 3868 ad 1; 4029 ad 1).

Tobalea superior exornari potest fimbriis seu reticulatis acu pictis, ex eadem tobaleae materia vel ex gossypio vel etiam alia materia.

Ad supellectilem, quae benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, Altaris tobaleae quoque pertinent (Rit. Rom., Tit. VIII, cap. XXI) et illis benedictionem impertire possunt qui sub n. 509 enumerantur.

Tobaleae benedictae amittunt benedictionem: si usu ita tritae sint ut refici nequeant; si scindantur in duas partes et alterutra ad suum usum non sit idonea; si ad indecoros usus adhibitae vel si ad publicam venditionem expositae fuerint (C. I. C. 1305, § 1).

388. — Nullae permittuntur coronides, ex quacunque materia confectae, super extremas partes mensae Altaris ad tobaleas firmandas tum quando Sacra peraguntur tum aliis temporibus, non obstante antiquissima consuetudine (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 11; DD. 4213 ad 1; 4253).

Contra coronidum utilitatis assertores optime Periodicum « *Ephemerides Liturgicae* » (an. 1908, pag. 148) sequentia scripsit: « Ex quacunque coronides conficiantur materia, inconvenientia non arcent, quae lex profecto praevidit; et sane: earum firmitas desideratur, praesertim in longioribus mensurae Altaribus; sordes et pulvis cum facilius super mensa coadunantur, tum difficilius expelluntur, et quae ita vitari praesumitur tobalearum deturpatio, facilius admittitur; si orarum commaculatio deploranda est, non minus deplorari oportet facillimam coronidum deturpationem: ligni vel metalli crassities, legis remotione, tum Missali, tum ipsi coronidi, tum tobaleis potest offensionem gignere, si praesertim pueri inserviant. Et, ab omni demum eiusmodi consideratione praescindendo, suprema tobalea est Altaris operimentum, quod unice apparere debet ».

389. — DE CRUCE. — Super Altare inter candelabra collocetur Crux cum Imagine Crucifixi concinne et decore exculpta, quae ita promineat ut a Celebrante et a fidelibus commode conspici possit.

Crux ita sit apte disposita ut non appareat res secundaria et quasi ad ornamentum potius, quam ad cultum obiectum praecipuum.

Pro minoribus Altaribus hasta longior Crucis non minor sit altitudine quadraginta centimetris, et brevior viginti duobus ut praescriptum a S. Visitatione anno 1904 Romae habita; pro Altari maiori Crux proportionaliter maioris sit magnitudinis.

Altare vero in quo adest magna Statua vel Tabula picta representans Crucifixi Imaginem, alia non indiget Cruce, dummodo Crucifixus sit praecipua tabulae Imago et illam Celebrans, elevans oculos in Missa, iuxta Rubricas, commode intueri possit.

Materia ex qua Crux conficitur esse debet eadem qua candelabra conficiuntur (v. n. seq.).

Crux Altaris ex praecepto non benedicitur, sed si solemniter benedicatur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet Sacerdoti committere. Privatim autem haec benedictio a quolibet Sacerdote fieri potest sine ulla Ordinarii licentia (Rub. Gen. Miss. xx; Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 11; Rit. Rom. Tit. VIII, cap. XXIV; Const. « *Accepimus* » Bened. XIV, die 19 Jul. 1746; DD. 1270 ad 2; 2143; 2621 ad 7; 2960 ad 3).

390. — DE CANDELABRIS. — Caeremoniale Episcoporum requirit ut super Altare maius « adsint candelabra sex argentea, si haberi possunt: sin minus ex aurichalco aut cupro aurato, nobilius fabricata, et aliquanto altiora spectabilioraque his, quae ceteris diebus non festivis apponi solent... Ipsa candelabra non sint omnino inter se aequalia, sed paulatim, quasi per gradus ab utroque Altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus Crucis posita » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 11).

Sed ab hac praescriptione observanda excusat, si longa vigeat consuetudo candelabra inter se aequalia in Altari ponendi (D. 3035 ad 7).

In Festis duplicibus minoribus, semiduplicibus, infra Octavas, Feriis Quadragesimae, Adventus, Quatuor Temporum, Vigiliarum « sufficient in Altari quatuor candelae in candelabris; sed in Festis simplicibus et Feriis per annum, duae » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 24).

Pro diebus non festivis candelabra esse possunt ex aurichalco vel aere, et tolerari possunt ex ligno deaurato vel argentato decore exculpta.

Feria sexta in Parasceve et in Officiis pro Defunctis nunquam argentea sint candelabra, sed, vel ex aurichalco vel aere.

Quando Episcopus Ordinarius loci Missam pontificalem, non vero de Requie, celebrat, tunc candelabra septem super Altari ponantur, « quo casu Crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum

in medio cereorum positum locabitur » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 12).

Tolerari nequit ut tempore Missae et Officiorum adhibeantur candelabra panno vel tela contacta, ne pulvere sordescant (D. 3059 ad 11).

Candelabra quae ad Altaris ornamentum adhibentur non collocentur, occasione funerum, circa feretrum, vel tumulum.

391. — DE TABELLIS SECRETARUM. — Tum in medio tum in utroque Altaris latere ad Celebrantis commodum et adiumentum appositae sint Tabellae, cornicibus decore ornatae, pro iis quae debet memoriter recitare. Necesse est ut preces nitidis et speciosis litteris impressae sint. Expleta Missa, Tabellae removendae sunt.

392. — DE VASCULIS FLORUM. — Sacrae Reliquiae vel Sanctorum Imagines argenteae, sive ex alia materia, staturae competentis, vel vascula cum floribus, frondibusque odoriferis aut serico contextis vel ex solida et convenienti materia decore picta, statui poterunt alterne inter sex candelabra, et etiam inter candelabra et ipsam crucem (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 12). Nunquam adhibeantur frondes et flores ex bractea sive deaurata sive argentata sive picta, nec ex charta picta; hae turpes imitationes quae nec Altaris dignitati nec bonae arti conveniunt, arcendae sunt. Artefacti flores a Cardinali Urbis Vicario per Notificationem diei XX iunii 1932 omnino prohibiti fuerunt.

Abstinendum tamen est ab Imaginibus et Reliquiis Sanctorum collocandis quando SS. Sacramentum patenter adorationi exponendum sit; itemque a floribus tempore Adventus et Quadragesimae (Dominica tertia illius et quarta istius exceptis) atque ab Imaginibus tempore Passionis (D. 2365 ad 1; Caer. Episc. L. 2, cap. 13, n. 2; cap. 20, n. 1 et 3). Si Feria secunda, tertia et quinta post Dominicam tertiam Adventus canitur Missa de Feria (pro qua repetitur Missa *Gaudete* de praecedenti Dominica) potest Altare ornari floribus, nam in his Missis Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica et tunicella (Rub. Gen. Miss. XIX, n. 6) et organa non silent (D. 2365 ad 4). Nec florum vascula ad mentem Rubricarum in Altari ponantur dum canitur Missa de Feria Quatuor Temporum mense Septembri, aut Missa de *Passione*, quae Feria sexta per annum alicubi celebrari solet, nec in benedictione candelarum die 2 Februarii (Rub. Gen. Miss.; l. c., D. 3922; IV, § 2).

Si functiones extraliturgicae scilicet benedictio cum SS. Sacramento, preces novendiales vel triduanae etc., persolvantur diebus quibus fit Officium de Dominica aut de Feriis tempore Adventus et Quadragesimae, sicut et organorum sonitus permittitur (D. 2424

ad 4) ita vascula cum floribus super Altari collocari possunt. Et etiam « occasione primae Communionis puerorum, vel ob devotionem erga S. Ioseph, mense martio, possunt Altaria ornari floribus et pulsari organa etiam tempore Quadragesimae » (D. 3448 ad XI).

Prae oculis habeant Ecclesiarum Rectores verba quae circa usum florum in ornatu Altaris in « *Ephemerides Liturgicae* », anno 1917, p. 102, leguntur: « Ne fiant tales apparatus arbusculorum, et florum ut Ecclesia vel Altare in viridarium seu hortum immutentur. Altare praesertim, ne ultra quam citati loci liturgicorum codicum permittunt, vasis florigeris aut floribus aliter dispositis occupetur. Locus igitur florum super Altare est spatium inter candelabra: sit hoc satis ».

Ad ornamentum Ecclesiarum et Altarium, sobrie quidem adhiberi queunt plantae, vel flores recentes, qui toto anno in non paucis regionibus abundant, et quos pii fideles, secuta exhortatione, possunt Ecclesiae offerre.

In Officiis pro Defunctis « Altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter, et nullis imaginibus, sed sola Cruce et sex candelabris paretur » (Caer. Episc. L. 2, cap. 11, n. 1).

393. — DE PALLIO. — Altare « pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei Festo vel Officio convenientis » (Rub. Gen. Miss. XX), nisi Altare ipsum lapide pretioso aut marmore concinne exculpto ornatum sit; quo in casu, aliis ornamentis non indiget.

Pallium confici potest regulariter ex eodem panno qui in sacris paramentis conficiendis adhibetur, scilicet ex panno serico, auro vel argento intexto, vel sacris Imaginibus, frondibus ac floribus, sive acu sive penicillo depictis, decore ornato. Et etiam confici potest ex panno habente fulcimentum in gossypio, lana vel lino, sed ex parte externa et intuentium oculis ex filo serico integre contacto apparente; huiusmodi pallia praecipuis Ecclesiis minime conveniunt.

Non prohibentur pallia confecta ex corio, vel ex tabula lignea, vel ex lamina argentea aut ex alio convenienti metallo deaurato vel argentato in qua sacrae effigies aut symbola, bona arte, exculpta sint.

394. — DE TAPETI. — Diebus solemnioribus « gradus omnes Altaris inferiores cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapeti ut, si fieri potest, sint magis conspicui et ornati, quam reliqua pars Presbyterii, quae pannis viridibus contegitur. Si vero tale tapete amplum haberi non posset, saltem scabellum, seu suppedaneum quod est proximum Altari, sit tapete aliquo coopertum » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 16). Aliis diebus tapete iuxta Festorum qualitatem et Ecclesiae facultates super gradus extendi potest.

395. — DE LAMPADIBUS. — Iuxta Caeremoniale Episcoporum ante Altare maius saltem tres lampades esse debent (*l. c.*, n. 17), quae, pro libito, sustentari possunt brachio ex metallo parieti infixo ad similitudinem cornucopii vel suspendi ope cordularum (D. 3576 ad 4).

« Lampadarum forma, cum multiplex esse possit, prout temporum cursus tulit, nulla quidem improbatur, modo Ecclesiae consuetudini conveniat ». « Lampades pro Ecclesiarum ratione et dignitate ex argento aut aurichalco, prout est ecclesiasticae consuetudinis, esse possunt » (S. Carolus, *Instr. fabr. Eccl.*, L. 2).

Vasa vitrea, quae decentia esse debent ac saepe a sordibus purgata, viridis vel rubri coloris adhiberi possunt (D. 3576 ad 5).

396. — DE IMAGINE PRAECIPUA. — « Si Altare parieti adhaereat, applicari poterit ipsi parieti supra Altare pannus aliquis caeteris nobilior et speciosior ubi intextae sint Domini Nostri Iesu Christi, aut gloriosae Virginis, vel Sanctorum Imagines nisi iam in ipso pariete essent depictae et decenter ornatae » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 13) vel in aedicula fabrefacta Statuae adessent.

Si Ecclesia dicata sit Sacratissimo Cordi Iesu, quamvis in Altari maiori SS. Eucharistia regulariter custodiatur, tamen Imago seu Statua repraesentans D. N. I. Christum detecto Corde, in eodem Altari, non tamen supra Tabernaculum, collocari potest iuxta prudens Ordinarii iudicium (D. 4401 ad 1), et durante expositione SS. Sacramenti detecta manere potest (D. 3599 ad 3) dummodo non agatur de Oratione XL Horarum (« *Instr. Clement.* » § 3).

Quamvis Tituli Imago super Altare absolute non praecipitur, tamen si in maiore Altari apponenda est, eadem esse debet ac Ecclesiae Tituli (DD. 2752 ad 5 et 7; 4191 ad 4).

397. — DE BALDACHINO. — « Desuper vero (Altaris) in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, formae quadratae, cooperiens Altare et ipsius Altaris scabellum, coloris caeterorum paramentorum. Quod baldachinum etiam supra statuendum erit, si Altare sit a pariete seiunctum, nec supra habeat aliquod ciborium ex lapide aut ex marmore confectum » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 13).

« Quamquam vero varia appellatio ciborii, hic certe nihil aliud significat, quam turritam aediculam quatuor columnis innixam Altari impositam, ut videre hodieque est Romae in variis Basilicis ac praesertim S. Petri, S. Ioannis Laterani et S. Mariae Maioris » (Catalanus, *Comment. in Caer. Episc.*, in hoc loco, IV).

Baldachinum confici potest etiam ex ligno deaurato et formam exhibere vel plurium angulorum vel regiae coronae, dummodo Altare penitus cooperiat.

398. — DE THRONO EPISCOPALI. — Thronus Episcopi in Ecclesia cathedrali debet esse fixus et immobilis: locandus est vel in cornu Evangelii vel parieti adhaerens e regione Altaris. Locandus in cornu Evangelii si Altare adhaereat parieti vel ab eo modice sit separatum, et in casu Canonicorum sedilia ad ingressum Chori seu Presbyterii ponuntur, sed non longe a Throno. Si vero Altare sit in medio, Thronus collocandus est e regione Altaris adhaerens parieti, et Canonicorum sedilia hinc inde inter Thronum et Altare (Caer. Episc. L. 1, cap. 13, n. 1 et 2; DD. 131 ad 2; 2471 ad 5).

Forma eius erit praealta et sublimis, sive ex ligno sive ex marmore aut alia materia, fabricatus in modum cathedrae; tres tantum gradus habere debet, et, praeter gradus, suppedaneum habere potest (Caer. Episc., L. 1, cap. 13, n. 3; D. 2331 ad 7).

« Per suppedaneum autem hic concessum debet intelligi quidam gradus taliter cathedrae aptatus ut pedes stantis aut sedentis Antistitis non multum excedat, gradus superioris planitiae ante et circa tale suppedaneum libera remanente, ita ut inde sedeant Canonici et in anteriori parte locum habeat Episcopus ad accipienda paramenta » (Catalanus, *Comment. in Caer. Episc.*, L. 1, cap. 13, n. 3, VII). Hoc suppedaneum ita moderandum est ut in altitudine pro quarto gradu reputari non possit (*l. c.*). Thronus altior Canonicorum sedilibus et inferior mensa seu suppedaneo Altaris esse debet (D. 2049 ad 25).

Suppedaneum, planities et gradus pannis aut tapetibus tegendi sunt, sed non licet tapete in gradibus Throni sterni quando Altaris gradus nudi remanent (DD. 569; 574).

Convenit ut Thronus semper sit ornatus serico panno vel alia materia coloris convenientis Officio diei, non vero aurei coloris nisi Episcopus sit Cardinalis.

Super Throno baldachinum formae quadratae eiusdem materiae et coloris tegumenti Throni, Episcopum et tres Canonicos assistentes cooperiens appendi debet « dummodo et super Altari aliud simile vel etiam sumptuosius appendatur; nisi ubi super Altari est ciborium marmoreum, vel lapideum; quia tunc superfluum est, nec aptari commode potest » (Caer. Episc. L. 1, cap. 13, n. 3).

In aliis Ecclesiis dioecesis Thronum fixum retinere non licet. Erigendus tamen est Thronus etiam in Ecclesiis Regularium quando

Episcopus sacra solemniter peragit (DD. 492; 791 ad 4; 1209; 1290 ad 1; 2212; 2471 ad 5; 2712).

399. — DE FALDISTORIO. — Faldistorium est sedes pontificalis ampla, plicatilis, absque fulcramento ad declinandum dorsum; operiendum est undique ad terram serico coloris paramentorum; super illud collocatur unum cussinum, alterum ante illud ponitur quando Celebrans genuflectere debet.

400. — DE SCAMNO PRO CELEBRANTE ET MINISTRIS SACRIS. — Caeremoniale Episcoporum (L. 1, cap. 12, n. 22) praecipit ut in cornu Epistolae collocetur scamnum oblongum pro Celebrante, Diacono et Subdiacono.

« Huius scamni Caeremoniale nec formam praescribit nec ornatum, quae duo accidentaliter sunt et varia esse possunt iuxta diversas Ecclesiarum consuetudines; dummodo certos intra fines coerceantur. Scamni nomen genericum est, et aequae potest intelligi tam de scabello oblongo, quam de lignea pariter oblonga sede cum suo postergali; excludit vero sedes camerales » (Adnot. super Decr. 2631; vol. IV, pag. 243).

Scamnum istud neque aliquod suppedaneum, neque gradus habere potest (DD. 977; 2135 ad 2; 2631 ad 3); sed cooperiri potest panno viridi, vel violaceo colore pro qualitate temporis, vel etiam colore Officio congruente. In Officiis pro Defunctis et in Feria Sexta in Parasceve sit omnino nudum.

S. Rituum Congregatio interdixit variis Decretis ne sedes camerales Scamno substituerentur, declarans consuetudinem illam esse improbandam (DD. 2621 ad 6; 3104 ad 4; 3804 ad 11).

401. — DE ABACO. — Abacus, semper in cornu Epistolae collocandus, confici potest ex ligno vel ex marmore, absque gradibus et in eo Crux vel aliqua Imago ponenda non est. Abacus cooperiendus est mappa linea alba ita oblonga ut ad terram pertingat; in Officiis vero pro Defunctis et in Feria Sexta in Parasceve cooperiendus est in parte superiori tantum. Si abacus sit ex ligno vel marmore, affabre elaborato, tobalea cooperiri potest tantum mensa, in omnibus Officiis.

402. — DE CHORO. — Chorus, lato sensu, est locus seclusus cancellisque septus in quo Altare maius extat; stricto sensu est locus quo sive Canonici in Ecclesiis cathedralibus et collegialibus, sive Clerus in aliis Ecclesiis, sive Religiosi in Ecclesiis conventualibus, utuntur pro cantu vel recitatione divini Officii et pro sacris Functionibus assistentia.

« Chori locus a populi statione, ut vetus structura et disciplinae ratio ostendit, seclusus, cancellisque septus, cum ad Altare maius esse debeat, sive ab anteriori parte (ut antiqui instituti est) illud circumdet, sive a posteriori sit usque adeo late longeque, ubi pro sitis spatio potest, patere, etiam in hemicycli, vel in alterius formae, pro ratione Cappellae Ecclesiae, modum, architecti iudicio, debet, ut et amplitudine et ornatu item decenti, Ecclesiae dignitati, Clerique multitudini apte respondeat » (S. Carolus, *Instr. fabr. Eccl.*, lib. I).

Chorus extruendus est sedibus ligneis coniunctis in modum unius corporis, absque umbraculis ad instar baldachini, aliquantulum super pavementum eminentibus, sed ita ut in cathedralibus Ecclesiis, Ordinarii Thronus iisdem altior et superior sit atque superemineat (D. 2049 ad 25).

Si Thronus e regione Altaris collocatus sit, Canonorum sedes, ut sub n. 398 diximus, hic inde disponuntur inter Thronum et Altare; et in casu prima Dignitas sedet in primo stallo ad dexteram Throni, secunda Dignitas, si adsit, vel Dignior Canonorum in primo stallo ad sinistram Throni, Dignitas vel Canonicus qui sequitur, in secundo stallo ad dexteram Throni et sic deinceps. Si vero Thronus in cornu Evangelii sit, tunc Canonorum sedes collocantur ad ingressum Chori seu Presbyterii ita tamen ut Thronus a Canonorum sedibus non longius separetur (D. 214 ad 2); et in hoc casu prima Dignitas sedet in primo stallo in cornu Evangelii, secunda, si adsit, vel Canonicus Dignior in primo stallo in cornu Epistolae et sic deinceps.

ARTICULUS III.

De ornatu Altaris SS. Sacramenti.

403. — SS. Eucharistia « custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo Ecclesiae loco ac proinde regulariter in Altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius et decentius videatur, servato praescripto legum liturgicarum quod ad ultimos dies Hebdomadae maioris attinet. Sed in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus in quibus ad Altare maius chorales Functiones persolvendae sunt, ne ecclesiasticis Officiis impedimentum afferatur, opportunum est ut sanctissima Eucharistia regulariter non custodiatur in Altari maiore, sed in alio Sacello seu Altari.

« Curent Ecclesiarum Rectores ut Altare in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem et devotionem » (C. I. C. 1268, § 2, 3, 4).

« Indecentissimum enim foret si Sanctorum Sacella, in quibus non exstant nisi ipsorum Imagines vel ad summum aliquae exuviae, potiori cultu prosequeremur, quam locum quem Sanctorum omnium Dominus Christus Dominus sua reali praesentia inhabitat... Arguendi nihilominus sunt, qui, postquam in festis praesertim Sacellum Sancti aurea atque argentea supellectili instruxerunt, Altare Sanctissimi Sacramenti simplicissimo apparatu exornant.... Hoc plane indecentissimum est, et a christiana pietate longe alienum, adeoque emendatione dignum » (Catalanus, *Comment. in Caer. Episc.*, vol. I, pag. 263).

404. — DE TABERNACULO. — Tabernaculum, quod benedicendum est priusquam in illo SS. Sacramentum recondatur, inamovibile in media Altaris parte positum (C. I. C. 1269, § 1), esse debet eleganter confectum ex solido ligno, extra deauratum vel aliquo colore pulchre depictum; potest esse ex alia solida materia et pretiosa ut ex metallo aut marmore. Tabernaculum vero marmore extructum, debet esse intrinsecus tabulis ligneis circumamictum ad arcendam humiditatem (D. 3697 ad 13 et S. Carolus Borr., *Instr. fabr. Eccl.*, L. I, cap. 13).

405. — Sit Tabernaculum undequaque clausum et muniatur ostiolo valido ac duplici, si fieri potest, validisque clavibus clauso. Nisi argenteae, sint claves ex metallo deaurato vel deargentato, sericis funiculis vel catenulis argenteis suspensae. Decet ut duae aliae habeantur claves, ne si alterae amittantur vel frangantur ad fabrum recurrendum sit ut Tabernaculum aperiatur. Claves Tabernaculi nec super Altare relinqui nec ulli laico credi debent, sed diligentissime custodiri « onerata graviter conscientia Sacerdotis qui Ecclesiae vel Oratorii curam habet » (C. I. C. 1269, § 4).

406. — Forma Tabernaculi potest esse vel rectangula vel sexangula, vel quadrata vel rotunda prout decentius et religiosius accommodata videbitur ad Ecclesiae formam (S. Carolus, *loc. sup. cit.*).

In summitate Tabernaculi potest esse Imago Christi gloriose resurgentis, vel sacra vulnera exhibentis; vel si in Altari exiguae alicuius Ecclesiae per Tabernaculi occupationem congruus locus Cruci esse non possit ea pro alia sacra Imagine in Tabernaculi summitate affigatur (S. Carolus Borr., *loc. cit.*; Gavantus, Tom. I, P. V, *De mensuris*). Nunquam Crux collocetur ante ostiolum Tabernaculi (D. 4136 ad 2).

407. — Tabernaculum debet esse amplum pro dignitate et magnitudine rationeve Ecclesiae, ita tamen spatiosum ut continere possit duas Pyxides cum Capsula maioris Hostiae vel Ostensorio (S. Carolus, *loc. cit.*).

Intus si auro non sit illitum, serico panno albo circumvestiatur vel laminis deauratis exornetur (DD. 3254 ad 8; 3709). Corporale stratum et bene extensum continuo retineatur ac saepe mutetur ob munditiem.

408. — Tabernaculum debet esse ab omni alia re vacuum, ideoque, praeter SS. Eucharistiam et vasa sacra quae eam continerint et nondum sint purificata, nihil in eo reponere licet, non Calicem, non parvam Pyxidem ad Viaticum deservientem, aut aliud quidpiam utcumque sacrum videatur (S. C. Episc. et Reg. 3 Maii 1693). Nihil etiam supra Tabernaculum collocare, praeter Crucem, fas esto; non candelabra, non vasa cum floribus, non Reliquias Sanctorum vel ipsius Sanctae Crucis aut alterius Instrumenti Passionis Dominicae, non sacras Imagines (DD. 2740 ad 1).

409. — De Conopeo. — Tabernaculum, licet pretiositate insigne, tum ratione materiae, tum artis, tegendum est iuxta praescriptionem Ritualis Romani (Tit. IV, cap. I, n. 6), Conopeo, quacumque contraria consuetudine non obstante (DD. 3035 ad 10; 3520; 4137), quia Tabernaculum non est institutum ut videatur, sed ut SS. Sacramentum recondat.

Conopeum confici potest ex serico vel ex panno contexto gossypio vel lana vel cannabe, et erit coloris albi aut coloris convenientis Officio diei, mutato tamen colore nigro in violaceo (D. 3035 ad 10). Eiusdem coloris Conopei et pallium esse debet. Tolerandus est usus Tabernaculum intus velo seu cortina serica etiam argento aut auro intexto ornari, dummodo Conopeum apponatur (D. 3150).

410. — De vasculo pro digitorum ablutione. — Super Altaris mensam prope Tabernaculum adsit vasculum, vel ex metallo vel ex vitro cum suo operculo, aqua munda, quae saepe renovanda est et antiqua in sacrario proicienda, repletum pro digitorum ablutione; apud vasculum collocandum est purificatorium ad abstergendos digitos.

Pro administratione S. Communionis tobaleae super cancellos extendi debent.

411. — De Lampadibus. — Ante Altare plures lampades, numero semper impari, iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. I, cap. 12, n. 17) saltem quinque esse debent, quae omnes accendendae sunt tantum

diebus solemnioribus; reliquis diebus ad minus tres tota die accensae, sed « una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest vegetalibus » (C. I. C. 1271).

Ob plurium Ordinariorum instantiam, attentis peculiaribus circumstantiis sive ordinariis sive extraordinariis ex bello ortis, iisque perdurantibus, per Decretum S. R. C. diei 23 Februarii 1916 prudenti Ordinariorum iudicio cum facultatibus necessariis et opportunis benigne remisit potestatem concedendi pro lampade quae diu noctuque continenter collucere debet coram SS. Sacramento, usum lucis electricae sed, *ultimo loco*, scilicet in defectu olei olivarum, aliorum oleorum vegetalium, cerae apum sive purae sive mixtae (D. 4334). In his locis ubi eadem perdurant causae adhuc permissione hac uti licet.

Lampas, quae coram SS. Sacramento continenter lucere debet, sustentari potest brachio ex metallo confecto et parieti infixo ad similitudinem cornucopiae, vel suspendi ope cordularum, dummodo intra et ante Altare continuo ardeat (D. 3576 ad 4).

Circa huius Altaris ornatum pervide quod diximus de ornatu Altaris maioris (v. n. 385 et seqq.), sed candelabra nigri coloris non toleranda cum SS. Sacramentum in Tabernaculo adsit.

ARTICULUS IV.

De Altarium minorum ornatu.

412. — Altaria minora duos saltem habeant gradus, nempe gradum unum sub suppedaneo; admittuntur tamen Altaria minora cum suppedaneo tantum.

Praeter Crucem Altaria minora « habeant quaelibet saltem duo candelabra » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 16), et absolute super Altare in Missae celebratione, nec sufficiunt si hinc et hinc parieti, Altare fere tangenti, infixa (D. 3137 ad 1).

In praecipuis vero Ecclesiis conveniens est, praesertim si ampla sint haec Altaria, ut quatuor et etiam sex habeant candelabra, inter quae statui poterunt vascula cum floribus vel Reliquiae vel Sanctorum Imagines.

Diebus autem solemnioribus pallio ornentur et gradus aliquo tapete cooperiantur. Ante illa « singulae possunt lampades appendi, quae quidem in praecipuis Festis, saltem dum Vesperae et Missa sollemnis decantantur, continue ardeant » (Caer. Episc. L. 1, cap. 12, n. 16 et 17).

413. — Si Altaria fixa sint, quamvis super illa Tituli Imago vel Statua non praecipiat, tamen si aliqua Imago vel Statua collocanda sit, eadem ac ipsius Tituli esse debet, qui nequit absque apostolico indulto mutari (C. I. C. 1201, § 1); si vero mobilia sunt et Titulum habeant, tunc si collocanda sit Imago vel Statua, conveniens est ut eadem ac ipsius Altaris Tituli sit, qui ex Ordinarii licentia mutari potest. In huiusmodi Altaribus praeter Tituli Imaginem alia Imago apponi potest de Ordinarii licentia.

Nisi Altaria minora ex Apostolicae Sedis indulto dedicata sint Beatis, eorum Imago vel Statua super illa apponi nequit.

414. — Praescriptio appendendi super omnia Altaria baldachinum hodie urget tantum pro Altari maiori et pro eo in quo SS. Sacramentum asservatur, si aliud sit ab Altari maiori.

415. — Regulas traditas circa Ecclesiae et Altaris ornatum, praesertim Ecclesiarum Rectores prae oculis habeant, quando agatur de extraordinariis solemnitatibus, uti centenariis commemorationibus, solemnibus sive triduanis sive octiduanis quae in honorem alicuius Sancti vel Beati celebrantur infra annum a beatificatione vel a canonizatione, in expositione SS. Sacramenti pro Eucharisticis Conventibus etc.; quibus in casibus persaepe et super Altare multiplica ac ingentia candelabra apponuntur, quae non solum impediunt ut in ea Missae Sacrificium iuxta liturgicas praescriptiones decenter celebrari possit, sed etiam bonae arti et recto aestheticae sensui minime conveniunt; itemque Ecclesiae ornatu est aulicus, theatralis et indecorus magna et inutilis expensa, pietati detrimento ita ut nonnulli Ecclesiam adeuntes, prius nimia luce obcaecati, dein attoniti ad illum aulicum ornatum contemplandum, nec tantisper genuflectant ad SS. Sacramentum adorandum multoque minus ad venerandum Sanctum cuius dies sollemnis agitur.

CAPUT XXXV.

DE SACRARIO

416. — Sacrarium est locus, regulariter prope Altare maius, in quo adunantur Clerici et pro sacris functionibus parantur; propterea omnes in eo servare debent modestiam, gravitatem, et silentium, quae maxime et sacras actiones et clericale officium decent, memores moniti Scripturarum « *Ante orationem praepara animam tuam* » (Eccli. XVIII, 23).

Crux cum Imagine Crucifixi in eius praecipua pariete adsit, et sub ea collocetur mensa pro sacris paramentis assumendis ad cuius pedes solidum ac decens ligneum suppedaneum ponatur. In Sacrario principalium Ecclesiarum adsint aliae mensae sufficientes pro numero paramentorum quae sunt extendenda, et Clericorum qui Ecclesiae addicti sunt.

Adsint quoque genuflexoria ac tabellae Orationum pro praeparatione ad Missam ac gratiarum actione post Missam.

In Sacrario, una cum tabula oraria pro sacris functionibus, expositae sint tabulae legatorum etc. ad normam Synodaliu[m] constitutionu[m]; in pariete collocari possunt Imagines Summi Pontificis et Ordinarii loci.

Loco autem opportuno decens vas aquarum exstruatur et apponantur proxime lintea, pro manuum abstersione, quae saepe commutanda sunt.

In Sacrario, nisi adsint alia loca tuta ac decentia, custodiantur vasa sacra, vestes sacrae et supellex necessaria ad divinum cultum exercendum, exstructis ad id opportunis armariis numero et amplitudine sufficientibus, validisque vectibus et clavibus obseratis.

Conveniens est ut in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis alterum sit Sacrarium pro Canonicis, et ad id inservire potest ipsa aula capitularis, alterum pro reliquis de Clero.

CAPUT XXXVI.

DE ARCHIVO

417. — In omnibus Ecclesiis habeatur Tabularium seu Archivum, cuius clavis ab aliquo ecclesiastico maxima cum diligentia custodienda est. Si desit locus tutus et conveniens atque ab intemperiiis protectus, ne documenta intus reposita pereant, Archivum in Sacrario statui potest.

418. — In Archivo servanda sunt omnia documenta quae ad administrationem spiritualem et temporalem Ecclesiae pertinent scilicet:

I. - Exemplaria Bullarum, Decretorum, Litterarum Apostolicarum et Rescriptorum circa administrationem sive spiritualem sive temporalem Ecclesiae, edita et a Cancellaria Ordinarius transmissa;

II. - Decreta et Epistolae Ordinarii;

III. - Exemplar Codicis Iuris Canonici, Actorum Concilii Provincialis et Constitutionum Synodaliu[m];

IV. - Catalogum Indulgentiarum quae Ecclesiae concessae sunt;

V. - Catalogum Sacrarum Reliquiarum cum documentis circa earum authenticitatem;

VI. - Liber in quo descripta sint singula onera sive perpetua sive temporalia eorumque implementum et eleemosynae (C. I. C. 1549, § 2);

VII. - Documenta et instrumenta iura temporalia Ecclesiae comprobantia (*l. c.*, 1523, 6^o);

VIII. - Documentum de peracta consecratione vel benedictione Ecclesiae (*l. c.*, 1158);

IX. - Accuratum ac distinctum inventarium rerum immobilium, rerum pretiosarum, aliarumve cum descriptione atque aestimatione earumdem (*l. c.*, 1522, 2^o); praeterea exemplaria rerum arte et vetustate praestantium ope *photographicae artis* reproducta.

419. — Si Ecclesia sit cathedralis vel collegiata, a Capitulo in proprio Archivo acta et statuta capitularia custodiantur. Item a Parocho, si Ecclesia paroecialis, iuxta praescriptum canonis I. C. 470, § 1, custodiantur in Archivo libri paroeciales.

CAPUT XXXVII.

DE COEMETERIIS

ARTICULUS I.

De quibusdam generalibus notionibus.

420. — Coemeterium est locus benedictus undique apte clausus et caute custoditus in quo fidelium cadavera sepelienda sunt (C. I. C. 1205, § 1; 1210).

« In Ecclesiis cadavera ne sepeliantur, nisi agatur de cadaveribus Episcoporum residentialium, Abbatum vel Praelatorum *nullius* in propria Ecclesia sepeliendis, vel Romani Pontificis, regaliu[m] personarum aut S. R. E. Cardinalium » (*l. c.*, 1205, § 2).

Animadvertendum est hoc in canone:

I. - «Vox autem *Ecclesia*, attento legis fine et perspectis legibus liturgicis, accipi debet sensu lato, nimirum pro quolibet loco sacro cultui divino publice exercendo destinato, signanter pro Oratoriis

semipublicis ad normam can. 1193. Lex enim aliter non cavet nisi de sepulcro familiari seu gentilicio ac de aediculis Coemeteriorum de quibus in can. 1190 » (S. C. Conc. « SS. Conceptionis de Chile et aliarum. Sepulturae », 10 Decemb. 1927, n. 1).

II. — Nomine *cadaverum* non solum corpora adhuc integra et incorrupta intelligi debent, verum etiam corpora plus minusve iam dissoluta et corrupta, seu generatim exuviae (Cfr. Bened. XIV, *De Serv. Dei Beat.*, Lib. IV, part. II, cap. 22 ss.).

Lex ecclesiastica *cineres* et *ossa* cadaveribus plane aequiparat quoad locum benedictum ubi sepelienda sunt, et quoad ritum sacrum sive funus quod in eorundem translatione ac tumulatione peragi potest (DD. 3344; 3693). S. C. S. Officii die 3 Aug. 1897 declaravit ipsa membra corporis humani amputata, in loco sacro sive benedicto esse sepelienda.

Ergo vocabulum *cadaver* de quo in can. 1205, § 2 accipiendum est lato sensu, ita ut comprehendat etiam ossa et cineres et amputata membra (Cfr. S. C. C. « SS. Conceptionis de Chile et aliarum. Sepulturae », 10 Decemb. 1927).

Nec cor a cadaveribus extractum et in vitrea ampulla clausum in visibili loco et inter flores ordinarie collocata, conservari potest in loco sacro (D. 3982).

III. — « Nomine personarum regalium in regionibus ubi democratia viget, etiam personae supremum dominium actu obtinentes, ut, e. g. praesides Rerumpublicarum, comprehendi posse videntur; personae enim hae regales aliquo modo sunt, quia nempe de facto populum regunt.

« Personae autem regales sunt illae quae actu populum regunt; nec ultra hos limites, vel summum, ultra consanguineos primi gradus extendi posse privilegium videtur » (P. Matthaeus a Coronata, *De loc. et temp. sacr.*, pag. 141, n. 138).

421. — Circa modum sepulturae in Ecclesiis notandum est requiri omnino ut capsula seu sarcophagus sub terra deponatur, seu ut sepultura tantummodo humi detur.

« Uni Romano Pontifici privilegium est ut sepultura non humi, sed in loco elevato fiat » (*ibid.*).

422. — « Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria Coemeteria.

« Sicubi hoc Ecclesiae ius violetur nec spes sit ut violatio reparetur, curent locorum Ordinarii ut Coemeteria, societatis civilis propria, benedicantur, si, qui in eis condi solent, sint maiore ex parte

catholici, aut saltem ut in eis catholici spatium habeant, idque benedictum, sibi reservatum » (C. I. C. 1206, § 1 et 2).

423. — Debito semper in honore et reverentia Coemeteria habeantur, ut sacris convenit locis; propterea ad violationis et profanationis pericula vitanda, alto muro claudantur undique. « Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit, interdicto personali puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur » (C. I. C. 2328). Crux in medio emineat, nec sacra Aedes vel saltem Sacellum in eis desiderentur.

424. — Coemeteriorum custodes sint viri bonis moribus praediti, iustum honestumque salarium percipiant, et munus suum cum gravitate et pietate adimpleant. Curandum est ab eis ut semper decus et ordo in his locis sit, sed cavendum pariter ut Coemeteria velut voluptuarii horti colantur.

425. — « Caveant Ordinarii locorum, parochi ac Superiores, ad quos spectat, ne in coemeteriis epitaphia, laudationes funebres ornatusque monumentorum quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum » (C. I. C. 1211).

426. — « PROPOSITO DUBIO: — An aliquid obstat, quominus lampades etiam electricae ardeant supra sepulcra defunctorum in Christo quiescentium in Coemeteriis rite benedictis, — S. Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, respondendum censuit: Non obstat in casu, et ad mentem.

« Mens est, ut haec lux, sicut florum ornatus sepulcris appositus, non sit tantum officium humanitatis et solatium vivorum, sed horum in carnis resurrectionem et vitam aeternam, fidei catholicae testimonium et professio. Insuper nullum afferri debet detrimentum supplicationibus, quae, iuxta dogma catholicum, praecipue prosunt fidelibus defunctis, nempe sive Altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificia » (D. 4378).

Si possibile est, ad caput tumuli cuiusque defuncti Crux collocetur una cum inscriptione nominis, ut ab aliis defunctis distinguatur.

427. — Coemeterium aliud est paroeciale aliud religiosum (C. I. C. 1208, § 1 et 2).

Coemeterium, ut hodie praesertim in civitatibus contingit, pluribus paroeciis commune esse potest, et in casu quilibet Parochus istud Coemeterium ac si suae paroeciae Coemeterium esset considerare debet.

Coemeterium religiosum illud est quod ad religionem exemptam etiam laicalem et votorum simplicium pertinet, nam Codex absque ulla restrictione de religiosis exemptis loquitur.

428. — Ordinarius loci permittere potest, ut, extra Coemeterium commune, Capitula, Confraternitates, Piae Uniones et aliae personae morales erigant proprium sepulcrum, quod ad instar Coemeterii benedicatur. Quo in casu non habetur Coemeterium proprie dictum, sed sepulcrum privatum extra Coemeterium commune, et sufficere videtur benedictio tumuli ut in Rituali Romano (Tit. VI, cap. III, n. 12); non vero danda est benedictio sive solemnisi sive simplex quae constitutiva est.

429. — « Sepulcra Sacerdotum et Clericorum, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint, ac decentiore loco sita; praeterea, ubi id commodum fuerit, alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Ecclesiae Ministris parentur » (C. I. C. 1209, § 2 et Rit. Rom. Tit. VI, cap. I, n. 21).

430. — « ... Curent Parochi, ut, iuxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis Coemeteriorum sepulturis; sed ut pro illis in paroecialibus Coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant, in quibus non sepeliantur nisi infantes vel pueri, qui ante usum rationis obierint et baptizati fuerint » (Rit. Rom. Tit. VI, cap. VI, n. 1; C. I. C. 1209, § 3).

431. — « Praeter Coemeterium benedictum alius, si haberi queat, sit locus, clausus item et custoditus, ubi ii humentur quibus sepultura ecclesiastica non conceditur » (C. I. C. 1212).

Si vero distinctus locus haberi nequit, tunc ante Coemeterii benedictionem designetur pars aliqua extrema ipsius Coemeterii in duas quae dividatur partes, quarum una pro infantium non baptizatorum sepultura inserviat, altera pro sepultura acatholicorum aliorumque qui forte sepultura ecclesiastica privantur.

432. — Iuxta Rituale Romanum (Tit. VI, cap. II) et Codicem Iuris Canonici (can. 1240), ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa:

1. Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisque eiusdem generis societatibus notorie addicti;

2. Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;

3. Qui se ipsi occiderint deliberato consilio;

4. Mortui in duello aut ex vulnere inde relato;

5. Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi, etiamsi crematio non sequatur ob heredum voluntatem (Ex Resp. Pont. Comm. ad Can. Cod. interpr., die 10 Novemb. 1925);

6. Alii peccatores publici et manifesti.

« Occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum » (C. I. C. 1240, § 2).

Praeterea « ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserunt » (C. I. C. 1239, § 1 et Rit. Rom., *l. c.*).

433. — « Excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria » (Rit. Rom. Tit. VI, cap. II, n. 4).

Quod si forte civilis loci auctoritas, Ecclesiae infensa, vi exigat ut defuncti ecclesiastica sepultura privati ad Ecclesiam deferantur ad exequias persolvendas, et eorum corpora vel cineres in Coemeteriis benedictis serventur, ne desint Sacerdotes ad quos spectat, qua par est animi fortitudine huic apertae Ecclesiae iurium violationi obsistere, emissaque congrua protestatione, ab omni abstineant interventu. Tum, data occasione, praestantiam, utilitatem ac sublimem ecclesiasticae sepulturae significationem seu privatim seu publice praedicare ne cessent, ut fideles, Ecclesiae intentionem apprime edocti, a delictorum de quibus in can. 1240 impietate deterreantur (Cfr. Instruct. S. C. S. Off. 19 Iun. 1926).

434. — « Catechumeni, qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt » (C. I. C. 1239, § 2).

ARTICULUS II.

De Coemeteriorum benedictione, violatione et reconciliatione.

435. — BENEDICTIO COEMETERII duplex est: *solemnis* et *simplex* (C. I. C. 1205, § 1).

I. - SOLEMNIS BENEDICTIO ea est quae fit iuxta ritum descriptum in Pontificali Romano (Pars II « *De Coemet. bened.* ») et spectat ad Ordinarium territorii, dummodo characterе episcopali sit insignitus, in quo Coemeterium reperitur. Vicarius Generalis, etsi characterе episcopali decoretur, absque speciali mandato, benedictionem hanc dare nequit (C. I. C. 1155, § 1).

II. - BENEDICTIO SIMPLEX ea est quae fit iuxta ritum descriptum in Rituali Romano (Tit. VIII, cap. XXIX) et pariter spectat ad Ordinarium territorii, dummodo Coemeterium non pertineat ad religionem clericalem exemptam, quo in casu haec benedictio spectat ad Superiorem maiorem illius religionis.

Ordinarius autem territorii et Superior maior quemlibet sacerdotem, iuxta proprium ius, ad hoc delegare possunt (C. I. C. 1156).

436. — Si in Coemeterio civili obtineri nequit spatium reservatum et benedictum pro catholicis, tunc toties quoties singuli tumuli iuxta ritum Ritualis Romani (Tit. VI, cap. III, n. 12) benedicantur (C. I. C. 1206, § 3).

437. — Quod de Ecclesiarum violatione diximus (v. n. 345) applicetur etiam Coemeteriis (C. I. C. 1207) benedictione constitutiva benedictis, non vero Coemeteriis in quibus singuli tumuli benedicti sunt.

438. — RECONCILIATIO COEMETERII est ritus quo Coemeterium certe violatum pristinae restituitur benedictioni, ut fidelium cadavera in eo sepeliri possint; et peragendus quam citissime poterit.

Hic ritus invenitur:

I. - In Pontificali Romano:

a) si Coemeterium sollemniter benedictum fuerit, pro circumstantiis adhibendus est ritus descriptus vel sub titulo «*De Ecclesiae et Coemeterii reconciliatione*» vel sub titulo «*De reconciliatione Coemeterii sine Ecclesiae reconciliatione*»;

b) si Coemeterium simpliciter benedictum una cum Ecclesia consecrata violatum sit, adhiberi potest ritus descriptus in titulo «*De Ecclesiae et Coemeterii reconciliatione*» vel pro Ecclesia idem ritus, omissis iis quae ad Coemeterium referuntur, et pro Coemeterio ritus «*De reconciliatione Coemeterii sine Ecclesiae reconciliatione*».

II. - In Rituali Romano:

si Coemeterium simpliciter benedictum fuerit, adhibendus est ritus descriptus vel in Titulo VIII, cap. XXVIII vel in cap. XXX eiusdem Tituli pro circumstantiis, scilicet si Coemeterium violatum sit una cum Ecclesia tantum benedicta, vel absque Ecclesia.

439. — Minister reconciliationis Coemeterii sollemniter benedicti est Ordinarius loci in quo Coemeterium reperitur, dummodo non agatur de Coemeterio ad religionem clericalem exemptam; quo in casu Minister est Superior maior. Ordinarius loci et Superior maior ad hoc delegare alium sacerdotem possunt (C. I. C. 1176, § 2).

In casu autem gravis et urgentis necessitatis si Ordinarius territorii vel Superior maior, pro Coemeterio ad religionem clericalem exemptam pertinente, adiri nequeat, Rectori Ecclesiae cui Coemeterium inservit vel Cappellano Coemeterii, si habeatur specialis, non vero alii Sacerdoti, etiam aliqua ecclesiastica dignitate insignito, Coemeterium reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario territorii vel Superiore maiore pro re (*l. c.*, 1176, § 3).

«*Quod si Coemeterium pluribus paroeciis inserviat, Minister reconciliationis quilibet ex Rectoribus Ecclesiarum quibus Coemeterium inservit esse poterit et ius praevalens, in casu, iure praeventionis dimetiendum erit*» (P. Matthaeus a Coronata, *De loc. et temp. sacr.*, n. 148).

Coemeterium simpliciter benedictum reconciliare potest Rector Ecclesiae cui inservit Coemeterium vel ipsius Coemeterii Cappellanus, si specialis habeatur, vel quilibet Sacerdos de eorum saltem praesumpto consensu (C. I. C. 1176, § 1).

CAPUT XXXVIII.

DE DIEBUS FESTIS

440. — Potestas constituendi, transferendi, abolendi dies sacros divino cultui dicatos ita unice Ecclesiae propria est, ut nullo modo civili potestati competat.

Auctoritas ecclesiastica competens ad constituendos, transferendos et abolendos dies festos est suprema, seu Romanus Pontifex pro diebus festis universali Ecclesiae communibus (C. I. C. 1244, § 1).

Ordinarii locorum, seu qui recensentur in can. 198 (v. n. 46, I), peculiare suis Dioecibus, seu locis, dies festos possunt indicare tantum per modum actus (C. I. C. 1244, § 2) seu non stabiliter ad plures annos, sed data occasione maximae festivitatis; nequeunt vero dispensare totam Dioecesim vel locum a lege Festorum.

441. — Supputatio diei Festi liturgice facienda est a primis ad secundas Vesperas; canonice a media nocte usque ad mediam noctem (C. I. C. 1246).

442. — «*Dies Festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum:*

I. - Omnes et singuli dies dominici;

II. - Festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, SS. Corporis Christi;

III. - Festa Immaculae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae;

IV. - Festum S. Ioseph eius sponsi;

V. - Festa Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum » (C. I. C. 1247, § 1).

Ad eliminandam omnem ambiguitatem circa verbum « *tantum* » allati canonis quaesitum fuit utrum festa quae non enumerantur in c. 1247, § 1, ipso facto ipsaque lege, nullibi sint amplius de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali concessione S. Sedis: responsum fuit die 17 Feb. 1918 a Commissione Pontificia ad Codicem interpretandum: affirmative, ita ut in iis diebus non amplius fideles urgeat duplex obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus.

443. — « Ecclesiastico praecepto dies festi Patronorum non subiacent; locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur » (C. I. C. 1247, § 2 et 3).

444. — Festis de praecepto diebus Missa audienda est (C. I. C. 1248) integra, tali corporis praesentia, ut quis moraliter censi possit coniunctus iis qui in conspectu Altaris versantur et simul aliquo modo sequi possit saltem in eius principalioribus partibus.

« Diebus festis de praecepto abstinendum etiam est ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaris indulta, publico mercatu, nudinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus » (l. c.).

CAPUT XXXIX.

DE DIVINO CULTU

445. — Rubricae Librorum liturgicorum nec non sacrorum canonum Praescripta de divino cultu, integre et fideliter servanda sunt: « Quamobrem Episcopis districte praecipimus ut omnia quae in Ecclesiis sive saecularibus sive regularibus... contra praescriptum Pontificalis Romani, Caeremonialis Episcoporum vel Rubricae Missalis, Breviarii vel Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas, prohibeant, et omnino studeant remove, quavis non obstante interposita appellatione, vel immemorabili consuetudine; cum non quod fit, sed quod fieri debet sit attendendum » (Benedictus XIII in Romana Synodo).

446. — Advigilent Ordinarii locorum ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidianam fidelium vitam superstiosa ulla praxis inducatur; ne, in iisdem adiunctis, admittatur quidquam a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praeseferens (Cfr. C. I. C. 1261, § 1).

Ad huiusmodi porro quaestus speciem praecavendam vel eliminandam a non paucis Notificationibus Ordinariorum, a pluribus Synodis nec non a Provincialibus Conciliis vetitum est vendere candelas, luminaria vel alia id genus in Ecclesiis et Oratoriis, in Sacristiis, in aditu Ecclesiarum vel Oratoriorum, sicut etiam in locis adiacentibus vel quomodocumque dependentibus a Clero vel a Religiosis curam Ecclesiae gerentibus, quamvis sub praetextu quod lucrum inde perceptum cedere debeat ad divini cultus incrementum.

447. — « Ingressus in Ecclesiam ad sacros ritus sit omnino gratuitus, reprobata qualibet contraria consuetudine » (C. I. C. 1181).

448. — « Optandum ut, congruenter antiquae disciplinae, mulieres in Ecclesia separatae sint a viris.

« Viri in Ecclesia vel extra Ecclesiam, dum sacris ritibus assistunt, nudo capite sint, nisi aliud ferant probati populorum mores aut peculiaris rerum adiuncta; mulieres autem, capite cooperto et modeste vestitae, maxime cum ad mensam Dominicam accedunt » (C. I. C. 1262).

449. — Distinctio in Ecclesia inter fideles, nobilitatis et paupertatis causa, non admittitur, sed tantum magistratibus, ratione publicae auctoritatis ab ipsis repraesentatae, locum distinctum conceditur ad normam legum liturgicarum (C. I. C. 1263, § 1) nempe:

Magistratus locum habere nequit in Presbyterio licet in loco inferiori et a Clero separato, non obstante transactione inita inter ipsum et Capitulum vel Ecclesiae Rectorem, quae transactio non sustinetur; neque potest uti sedibus cum suppedaneo et pulvinari tum in Presbyterio tum extra (DD. 1792; 1808; 1830 ad 3; 1838 ad 1; 1849; 1910 ad 2; 2036; 2141). Hae normae servandae etiam in Ecclesiis Regularium (DD. 1792; 1831; 1832 ad 1).

Patrono, si ita ferant legitimae locorum consuetudines, in sui patronatus Ecclesia, ius est habendi digniorem sedem, sed extra Presbyterium et sine baldachino (C. I. C. 1455, 3^o).

450. — « Sine expresso Ordinarii loci consensu nemo fidelis locum habeat in Ecclesia sibi suisque reservatum; Ordinarius autem consensum ne praebet, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter consultum. Ea semper factis in concessionibus inest tacita

conditio, ut Ordinarius possit, ex iusta causa, concessionem revocare, non obstante quolibet temporis decursu » (C. I. C. 1263, § 2 et 3).

Sedes mobiles quae fidelibus, modicae taxae solutione, ad expensas cultus necessarias, conceduntur, censendae non sunt ut sedes reservatae, nam in canone agitur de loco personaliter distincto et reservato.

451. — Officia divina sint ita ordinata ut fideles commode eis interesse possint, et exposita sit tabella in qua sacrarum Functionum horae indicantur.

452. — Preces publice recitandae et pietatis exercitia peragenda in Ecclesiis vel Oratoriis, si in probatis collectionibus non inveniuntur, sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia ne permittantur (C. I. C. 1259, § 1).

453. — « Sacrarum Functionum tempore, sicut etiam, arrepta occasione Matrimoniorum, primarum Communionum, etc., absolute vetatur, ut non modo in Ecclesiis, sicut etiam in Oratoriis exprimentur photographicae imagines, sive adhibita luce magnesiaca, sive apparatus cinematographicis, sive consistendo (vulgo *a posa*) » (Ex Notific. - sermone italico - E.mi Card. Vic. Urbis, die 20 Iun. 1932).

Valde optandum ut huiusmodi praescriptio etiam in aliis dioecibus vigeat, nam actiones istae, dum Sacra peraguntur, minime conveniunt domus Dei decori et sacrarum Functionum sanctitati.

454. — Occasione festi nationalis vel functionis religiosae nationem respicientis, vel funerum, in Ecclesiis admitti nequeunt insignia seu vexilla:

I. - pertinentia ad Societates religioni catholicae manifeste contrarias;

II. - pertinentia ad Societates quarum statuta sunt reprobata;

III. - praeseferentia aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum (D. 4390).

Si per vim deferantur in Ecclesia vexilla quae emblemata manifeste impia praeseferant, tunc:

1. Si Missa nondum inchoata sit, Clerus recedere debet;

2. Si Missa iam inchoata sit, ea absoluta, auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata Templi et sacrarum Functionum sanctitate (S. Poenit., 4 Apr. 1887; 24 Nov. 1897).

455. — Insignia et vexilla nationalia exercitus si sint benedicta admitti possunt in Ecclesia, si non sint benedicta tolerari possunt ex

circumstantiis quatenus absit omnino quilibet Ecclesiae vel S. Liturgiae contemptus (S. Poenit., 4 Apr. 1887; S. Off., 22 Mart. 1911).

456. — « Curent Ordinarii ut sacrae Processiones, extirpatis, si qui sint, malis usibus, ordinate procedant eaque modestia ac reverentia ab omnibus perficiantur, quae piis ac religiosis huiusmodi actibus maxime convenit » (C. I. C. 1295).

457. — « Postremis hisce annis haud raro contigit ut per *cinematographa* et *projectiones*, ut aiunt, actiones quaedam scenicae in Ecclesiis haberentur. Quod, etsi pio iuvandae religiosae fidelium institutionis desiderio peractum fuerit, visum tamen est periculis atque incommodis facile locum dare. — Quum itaque nonnulli Sacrorum Antistites ab Apostolica Sede quaesiverint utrum eiusmodi usus tolerari possit an potius cohiberi debeat, ad E.mos S. Congregationis Consistorialis Patres delata res est. — Porro hi considerantes, aedes Deo dicatas, in quibus divina celebrantur mysteria et fideles ad caelestia et supernaturalia eriguntur, ad alios usus et praesertim ad scenicas actiones etsi honestas piasve agendas converti non debere, qualisbet projectiones et cinematographicas repraesentationes prohibendas omnino esse in Ecclesiis censuere. — Ss. Pius Pp. X sententiam E.morum Patrum ratam habuit confirmavitque, atque hoc iussit edi generale decretum, quo ea agi in Ecclesiis prohibetur » (Decr. S. C. Consistorialis sub die 10 Decemb. 1912).

Circa musicum cantum et sonum servandae sunt regulae editae in *Motu proprio* Pii Pp. X « *Inter pastoralis officii* », die XXII Nov. 1903 et in Constitutione Apostolica Pii Pp. XI « *De liturgia deque cantu gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis* », die XX Decembr. 1928 (v. cap. XXIX huius Partis).

CAPUT XL.

DE CUSTODIA ET CULTU SS. EUCHARISTIAE

ARTICULUS I.

De conservando ac renovando SS. Sacramento.

458. — « § 1. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et regulariter Sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret:

1º Custodiri debet in Ecclesia cathedrali, in Ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae nullius, Vicariatus et Praefecturae Aposto-

licae, in qualibet Ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali et in Ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum;

2º Custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in Ecclesia collegiata et in Oratorio principali sive publico sive semipublico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur.

«§ 2. Ut in aliis Ecclesiis seu Oratoriis custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo Ecclesiae aut Oratorio publico ex iusta causa et per modum actus.

«§ 3. Nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre» (C. I. C. 1265).

«Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa vel pia domo sanctissima Eucharistia custodiri nequit, nisi in Ecclesia vel in principali Oratorio; nec apud moniales intra Chorum vel septa monasterii» (C. I. C. 1267).

459. — Ordinarius, attenta immemorabili consuetudine, potest licentiam dare asservandi SS. Eucharistiam in curatis Ecclesiis, quamvis non stricte paroecialibus, sed subsidiariis (Ex Resp. Pontif. Comm. ad Cod. can. authentice interpretandos, die 20 Maii 1923, VII).

460. — «Ecclesiae in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant» (C. I. C. 1266).

461. — «Sanctissima Eucharistia continuo seu habitualiter custodiri nequit nisi in uno tantum eiusdem Ecclesiae Altari» (C. I. C. 1268, § 1; D. 1946 ad 3).

Licet tamen occasione alicuius Festi, tridui, novendialis aut mensis v. g. Maii B. M. V. dicati, Iunii in honorem SS. mi Cordis Iesu, Hostiam maiorem pro expositione vel Sacram Pyxidem cum Particulis pro Communione a proprio Altari in aliud transferre ut ibi Benedictio impertiatur et SS. Communio distribuatur, dummodo, functione absoluta, iterum SS. Sacramentum ad suum Altare transferatur (D. 3576 ad 6).

462. — «Particulae consecratae, eo numero qui infirmorum et aliorum fidelium Communioni satis esse possit, perpetuo conserventur in Pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, cooperta albo velo serico et, quantum res feret, ornato» (C. I. C. 1270). Hostia maior pro expositione in Ostensorio vel in Capsula asservari potest.

Circa Altare in quo custodienda est SS. Eucharistia vide quod diximus in art. III «*De ornatu Altaris SS. Sacramenti*» Cap. XXXIV huius Partis.

ARTICULUS II.

De expositione et benedictione SS. Sacramenti.

463. — «In Ecclesiis et Oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri potest expositio privata seu cum Pyxide ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia; expositio vero publica seu cum Ostensorio die Festo Corporis Christi et intra Octavam fieri potest in omnibus Ecclesiis inter Missarum solemnias et ad Vesperas; aliis autem temporibus non nisi ex iusta et gravi causa praesertim publica et de Ordinarii loci licentia, licet Ecclesia ad religionem exemptam pertineat.

«Minister expositionis et repositionis sanctissimi Sacramenti est Sacerdos vel Diaconus; Minister vero benedictionis Eucharisticae est solus Sacerdos, nec eam impertire Diaconus potest, nisi in casu quo, ad normam can. 845, § 2, Viaticum ad infirmum detulerit» (C. I. C. 1274).

Iuxta responsa Pontif. Commiss. ad Cod. can. authentice interpretandos:

I. - Sub nomine «*expositionis publicae*» venit etiam Benedictio Eucharistica quae, palam SS. Sacramento exposito in Ostensorio, impertiri solet (6 Mart. 1927, III).

II. - Ecclesiae in quibus sine Ordinarii licentia fieri potest expositio publica seu cum Ostensorio die festo Corporis Christi et intra Octavam inter Missarum solemnias et ad Vesperas sunt illae tantum quibus datum est asservare SS. Eucharistiam (14 Iul. 1922).

464. — Duplex igitur datur forma expositionis SS. Sacramenti: *privata et publica*:

EXPOSITIO PUBLICA seu SOLEMNIS ea dicitur quae fit ad diuturnum tempus scilicet tota die vel aliquibus horis, in Ostensorio detecto in Throno collocato.

EXPOSITIO PRIVATA ea est quae, quamvis fiat ad diuturnum tempus, scilicet tota die vel aliquibus horis, in Pyxide vero oblecta velo et in Tabernaculi ostiolo posita quin illa ex eo extrahatur, nisi pro populo cum ea benedicendo (DD. 800; 3394 ad 1; 3875 ad 3).

465. — Pro expositione privata, causa privata sufficit, ut alicuius infirmitas, aut alia privata familiae necessitas etc.; pro expositione publica seu solemnii, causa gravis et praesertim publica requiritur, ut quaedam spiritualis vel temporalis necessitas quae Ecclesiam,

nationem, civitatem, et pro Religiosis, totam communitatem afficiat, v. g. electio Summi Pontificis, infirmitas eiusdem vel Principis vel Ordinarii loci, tempus mortalitatis et pestis; quoad Religiosos vero, electio Superiorum in eorum comitiis generalibus et provincialibus, etc. Iudex vero de iustitia et gravitate causae solus loci Ordinarius est.

Expositio privata SS. Sacramenti fieri potest etiam ex causa publica (D. 4096 ad 8) et expositio publica seu sollemnis pro causa privata, ut patet ex declaratione S. R. C. (D. 3375 ad 1) qua datur facultas Episcopo permittendi expositionem solemnem pro infirmo morti proximo, et ex canone C. I. C. sub n. 1274, § 1. « Ex his consequitur causam publicam aut privatam nullimode influere in *modum* expositionis, ita ut etiam expositio sollemnis in Ostensorio aliquando fieri possit ex privata causa; et expositio non sollemnis, seu in Pyxide clausa, e converso, aliquando fieri possit pro causa publica » (« *Ephem. Lit.* » Ann. 1916, pag. 502).

Expositio cum Ostensorio ob benedictionem populo impertiendam diebus dominicis et festivis vel occasione novendialium, etc., expositio publica seu sollemnis improprie dicitur. In hac expositione Ostensorium collocari potest super Altaris mensam dummodo baldachinum pensile aut columnis sustentum super Altari adsit; alias in eminenti Throno.

466. — Benedictionem cum SS. Sacramento licet populo impertiri, de Episcopi licentia, pluries eodem die atque in eadem Ecclesia, evitata tamen nimia frequentia. Benedictio impertiri nequit ante sacras functiones seu initio expositionis sive publicae sive privatae; expositio tamen, benedictionis causa, interrumpi potest, dummodo non agatur de expositione Quadraginta Horarum (DD. 3438 ad 5; 3448 ad 3; 3308 ad 1).

ARTICULUS III.

De indulgentiis, privilegiis, indultis et dispensationibus concessis iis qui Conventibus Eucharisticis celebrandis intersint vel operam navent.

(Ex litteris Apostolicis PII Pp. XI, diei 7 Martii 1924).

467. — « Nil ergo mirum si, miserrimis hisce temporibus, ad religionem christifidelium ac pietatem augendam, atque eorumdem studium et in ipsos Coetus (*Eucharisticos*) conveniendi desiderium excitandum, Nos quoque, Apostolica providentia, sacris Ecclesiae thesauris, nec non peculiaribus privilegiis atque indultis Eucha-

risticos Conventus honestare censuimus. Quapropter, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi, perpetuumque in modum, omnibus ac singulis christifidelibus, qui, in loco cuiuscumque Conventus Eucharistici internationalis, vel etiam unius nationis, aut regionis, aut dioecesis, vere poenitentes et confessi ac sacra Communionem refecti, ecclesiam quamlibet vel publicum sacellum ipsius loci, Conventu eodem durante, devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, itemque secundum mentem Nostram, pias ad Deum preces effuderint; sollemni Eucharistiae pompae, quae, dimisso Conventu, publice duci solet, religiose interfuerint; benedictionem apostolicam, sub Conventus exitum, Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine sollemniter, adstantibus impertiendam, praesentes pie acceperint: de Omnipotentis Dei misericordia atque Apostolorum eius beatorum Petri et Pauli auctoritate confisi, *plenariam* omnium peccatorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus. Pariterque omnibus et singulis christifidelibus, qui, perdurante Conventu, in eiusdem loco, coram Augusto Sacramento publicae adorationi proposito, aliquamdiu oraverint; sacrae cuilibet supplicationi a moderatoribus indictae, vel cuiusvis eiusdem Conventus coetui seu sessioni affuerint, de numero poenali *septem annos totidemque quadragenas*; iis vero qui, tempore ac loco praefato, aliquod religionis peregerint opus, quoties id in spiritu poenitentiae egerint, *centum dies* in forma Ecclesiae solita expungimus.

468. — « Praeterea concedimus ut uniuscuiusque Eucharistici Congressus tempore, die ab Ordinario loci, vel a moderatoribus Conventus de consensu Ordinarii eiusdem legitima auctoritate designando, servatis rubricis et sacrorum Canonum praescriptis, sollemni cum cantu vel ritu pontificali Missa votiva de Sanctissimo Sacramento peragi possit; utque Episcopus, qui memoratis Sacris ritu pontificali operatus fuerit, vel alius quilibet ex iis qui aderunt, Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine et auctoritate, post eadem Missarum sollemnia, servatis servandis, *Apostolicam* christiano populo adstanti *benedictionem* cum *plenaria* addita *indulgentia* impertire licite queat; utque singuli quoque sacerdotes ad eundem Conventum congressi, loco ac tempore Coetus ipsius, Missam votivam de Sanctissimo Sacramento, ut pro re gravi, servatis servandis, celebrare valeant. Si vero, alicuius Eucharistici

Conventus tempore, Augustum Sacramentum, uti mos est, publice adorandum per totam noctem exponatur, largimur ut una Missa a media nocte litari possit, in qua fas sit omnibus adstantibus ad sacram Synaxim accedere; sacerdotes, qui nocturnae huiusmodi adorationi interfuerint, prima, quam memoravimus, Missa expleta, vel prima post mediam noctem hora transacta, Sacrum peragere queant; clerici vero omnes in sacris Ordinibus constituti, religiosique viri, qui ad Horas canonicas recitandas teneantur, adorationi nocturnae praesentes, eadem perdurante, loco Officii proprii Officium de Sanctissimo Sacramento recitare valeant.

469. — «Pari autem auctoritate Nostra, canonicis et beneficiariis, qui de sui ipsorum Ordinarii consensu, cuius tamen erit cavere ne abusus irrepant, ad quemlibet huiusmodi Conventum se conferant, facultatem facimus, ex qua ipsi a primo Conventus die ad postremum integrum, si in eodem Conventus loco resideant, sin aliter a die profectionis ad reditus diem, ita excusentur a servitio chori ut distributiones quoque quotidianas, atque etiam ipsas quas *inter praesentes* vocant, percipiant; idemque indultum a choro, pro diebus et horis tamen tantum, canonicis et beneficiariis in loco Conventus residentibus, qui de iussu vel consensu Ordinarii apparando Conventui sint addicti, concedimus; itemque ceteris, qui extra locum resideant, pro omnibus iis diebus quibus, eadem de causa Conventus apparatus, abesse a beneficii loco debeant. Ordinarii autem pro iure suo permittant ut sacerdotes, qui in paroeciis manserint ad absentium vices supplendas, diebus festis de praecepto duo Sacra peragant; iisdemque presbyteris, pro suo prudenti iudicio atque, si id expedire in Domino iudicaverint, diebus, etiam ferialibus, veniam binandi faciant. Omnes autem, qui quemvis e praefatis Conventum Eucharisticum adiverint, lege abstinentiae et, si quando occurrerit, ieiunii, etiam durante itinere, non adstringantur; pro populo vero loci, ubi Conventus fit, Ordinarius, secundum praescriptum canonis 1245 Codicis Iuris Canonici, iure suo utatur.

470. — «Cum praeterea placeat Nobis christifidelium, etiam extra locum huiusmodi Conventus Eucharistici degentium, spirituali utilitati prospicere, iis omnibus, qui, ubique terrarum, si de internationali Conventu agatur, sin aliter in tota natione, regione, dioecesi, prout respective Conventus erit nationis, regionis vel dioecesis, quamlibet ecclesiam vel quodvis publicum sacellum, a die publice indicti Conventus ad integrum eiusdem postremum diem, pie visitaverint, ibique pro felici Conventus exitu preces Domino

adhibuerint, assuetis sub condicionibus, iam supra descriptis, *indulgentiam plenariam*, semel tantum lucrandam, misericorditer in Domino largimur; fidelibus vero qui aut preces fuderint, aut bonum aliquod fecerint opus, aut aliquam stipem pro Conventu prosperoque eius successu, etiam Conventu dimisso, obtulerint, quoties id egerint, *trecentos dies* de iniunctis eis, in forma Ecclesiae consueta, expungimus. Denique indulgentia ac privilegia, quae Litteris hisce Apostolicis pro Conventibus Eucharisticis maioribus statuimus, pro Conventibus quoque Eucharisticis in vicariatu tantum foraneo, seu decanatu, seu plebania aut in paroecia agendis concedimus, excepta tamen Benedictionis papalis cum plena admissorum venia impertiendae facultate, et ea quidem lege, ut indulgentiae extra locum Conventus acquirendae, nisi intra fines vicariatus foranei, seu decanatus, seu plebaniae aut paroeciae, ubi Conventus habetur, lucriferi nequeant ».

CAPUT XLI.

DE CULTU SANCTORUM, SACRARUM IMAGINUM
ET RELIQUIARUM

« Bonum atque utile est Dei Servos, una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque Reliquias atque Imagines venerari; sed prae ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur » (C. I. C. 1276).

ARTICULUS I.

De cultu Sanctorum.

471. — « Cultu publico eos tantum Dei Servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sint » (C. I. C. 1277, § 1).

Sancti coli possunt ubique et quovis actu *duliae* cultus; Beati vero nequeunt coli nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit.

ACTUS CULTUS DULIAE qui Sanctis debetur, sunt:

- I. - Dicere Altaria et Ecclesias Deo in eorum honorem;
- II. - Invocare eos in publicis Ecclesiae precibus;
- III. - Recitare divinum Officium et Sacrosanctum Missae Sacrificium Deo in eorum honorem offerre;

- IV. - Indicare dies festos pariter in eorum honorem;
 V. - Pingere eorum Imagines cum radiis et diademate in signum gloriae;
 VI. - Exponere eorum Reliquias.

472. — « Laudabiliter quoque, servatis servandis, Sancti Nationum, Dioecesium, Provinciarum, Confraternitatum, Familiarum religiosarum aliorumque locorum et moralium personarum eliguntur et, accedente confirmatione Sedis Apostolicae, constituuntur Patroni; Beati non item, sine peculiari eiusdem Sedis Apostolicae indulto » (C. I. C. 1278).

In stricto et liturgico sensu dicitur PATRONUS Sanctus ille, qui ab aliquo Oppido vel Civitate, Dioecesi, Provincia, Natione eligitur ut peculiaris apud Deum intercessor et proprius suffragator.

473. — Patronorum loci electio ab universo populo fieri debet, accedente consensu expresso Ordinarii et Cleri eiusdem loci; electionis causae in S. R. Congregatione deduci et ab ea examinari ac demum approbari et confirmari debent (D. 526).

Patroni rite constituti abrogari vel immutari nequeunt, inconsulta Sede Apostolica (D. 1061).

474. — « Festa Patronorum principalium Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis, Clerus saecularis et regularis ibi degens et Calendarium dioecesanum sequens, sub ritu duplici primae classis cum Octava celebrabit; Regulares vero ibidem commorantes et Calendarium proprium habentes, eadem Festa, quamvis feriata in foro numquam fuerint, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava, nisi pariter eis alio titulo debeatur » (Addit. et Variat. in Rub. Brev. Rom. Titul. IX, n. 3).

Si vero de eodem Patrono plura sint Festa in loco instituta, unum tantum solemnius, idest natalitium, a Regularibus proprium Calendarium habentibus celebrandum est, nisi sub utroque praeepto sint observanda; tunc enim ad illa ipsimet Regulares adiguntur (D. 3863 ad 1).

Si Patronus loci praecipuus descriptus sit in Calendario cum aliis Sanctis, eadem regulae servandae sunt circa eius Festi celebrationem ac Sancti Titularis Ecclesiae (n. 330).

Festa Patronorum minus principalium, nisi in Calendario dioecesano alius ritus assignetur, sub ritu duplici maiori a Clero dioecesanum Calendarium sequente celebranda sunt.

ARTICULUS II.

De sacris Imaginibus.

475. — « Illud... diligenter doceant Episcopi: per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur... excitanturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam » (Conc. Trident., Sess. XXV, « *De invoc.* », etc.).

476. — « Nemini liceat in Ecclesiis, etiam exemptis, aliisque locis sacris ullam insolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata.

« Ordinarius autem sacras Imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum probato Ecclesiae usu non congruant.

« Nunquam sinat Ordinarius in Ecclesiis aliisque locis sacris exhiberi falsi dogmatis Imagines vel quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebent » (C. I. C. 1279, § 1, 2, 3).

477. — « Parochi et Ecclesiarum Rectores sedulo invigilent ut Imagines sacrae mundae ac nitidae semper sint, ne pulvere pictae tabulae maculentur, ne propinquius cereis fuligine deturpentur, neve a sole directe percussae depereant » (Ex Const. Synod. Venetiar. n. 248).

« Imagines pretiosae, idest vetustate, arte aut cultu praestantes, in Ecclesiis vel Oratoriis publicis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, nunquam restaurentur sine dato scriptis consensu ab Ordinario; qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat » (C. I. C. 1280).

Imagines nec vetustate nec arte neve cultu praestantes, iniuria vero temporis ita deformatae et foedae ut eas instaurare tanti non sit, ab Ecclesia, praevio Ordinarii iudicio, removeantur.

478. — « Omnes Imagines ex charta, sint quidem arte oleographica confectae, in Ecclesia vetantur: tolerantur tantum Imagines positae in Stationibus Viae Crucis » (Ex Act. et Decr. Concil. Provin. Venet. II, n. 368).

479. — « Si Imagines, publicae venerationi expositae, sollemniter benedicantur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet Sacerdoti committere » (C. I. C. 1279, § 4).

« Privatim autem haec benedictio a quolibet Sacerdote fieri potest sine ulla Ordinarii licentia » (Rit. Rom. Tit. VIII, cap. XXV).

480. — Imagines pretiosae itemque Imagines quae in aliqua Ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam Ecclesiam perpetuo transferri absque Apostolico indulto (C. I. C. 1281, § 1).

481. — S. R. Congregatio declaravit: « Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum beatificationis aut canonizationis honores consecuti sunt, neque Altaribus utcumque imponi posse, neque extra Altaria depingi cum aureolis, radiis aliisque sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiae seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo Imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni » (D. 3835).

482. — Ipso vero iure prohibentur: « Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis alienae » (C. I. C. 1399, 12^o).

ARTICULUS III.

De sacris Reliquiis.

483. — Nomine Reliquiarum veniunt Sanctorum Corpora vel eorum partes, et duae species sunt:

I. - Propriae;

II. - Per contactum proximum sanctificatae.

Ad primam pertinet corpus et eius partes; ad secundam, vestes, instrumenta martyrii etc.

484. — RELIQUIAE PROPRIAE, aliae sunt insignes, aliae non.

« INSIGNES Sanctorum vel Beatorum RELIQUIAE sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est Martyr, dummodo sit integra et non parva » (C. I. C. 1281, § 2).

485. — « Publico cultu eae solae Reliquiae in Ecclesiis, quamquam exemptis, honorari possunt, quas genuinas esse constet authentico

documento alicuius S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa. Vicarius Generalis nequit, sine mandato speciali, Reliquias authenticas edicere » (l. c., 1283).

Vicarius Generalis speciali mandato Episcopi indiget etiam ad authenticandam partem sacrae Reliquiae ex authentica extractam. (Ex resp. Pont. Comm. ad Cod. can. auth. interpr., die 17 Iul. 1933).

Nec Vicarius Generalis, sine speciali mandato Episcopi, novum authenticitatis documentum tradere vel sacrae Reliquiae novum sigillum apponere potest (*idem*).

486. — « Sacrae Reliquiae, quarum authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob alium quemlibet casum interierint, publicae venerationi ne exponantur, nisi praecedat iudicium Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis, sine mandato speciali.

« Reliquiae tamen antiquae in ea veneratione qua hactenus fuerunt, sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu certis argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse » (C. I. C. 1285).

« Locorum Ordinarii Reliquiam, quam certo non esse authenticam norint, a fidelium cultu prudenter amoveant » (l. c., 1284).

Reliquiae quae nomine carent, in vasculis recondantur quibus aptetur inscriptio: « SS. Reliquiae quorum nomina ignorantur ».

487. — Loculi, vascula, thecae, in quibus sacrae reponuntur Reliquiae, decenti firmaque materia constant, serico intrinsecus obducantur panno, perlucido protegantur crystallo debitoque inscriptionis chirographo illustrentur.

« Reliquiae, cum exponuntur, in thecis seu capsis clausae et obsignatae sint oportet » (l. c. 1287, § 1).

488. — Reliquiae Sanctorum numquam in eadem theca cum Reliquia S. Crucis publicae venerationi exhibeantur, nec deferantur sub baldachino, et Ordinariis locorum stricte praecipitur ut abusus eliminent (DD. 2647; 2808; 2951 ad 1; C. I. C. 1287, § 2).

489. — « Beatorum Reliquiae, sine peculiari indulto, in Processionibus ne circumferantur, neve in Ecclesiis exponantur, nisi ubi eorum Officium et Missa celebretur ex Sedis Apostolicae concessionem » (C. I. C. 1287 § 3).

490. — « Insignes Sanctorum vel Beatorum Reliquiae nequeunt in aedibus vel Oratoriis privatis asservari, sine expressa Ordinarii loci licentia.

« Reliquiae non insignes debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt » (C. I. C. 1282).

491. — « Rectores Ecclesiarum, ceterique ad quos spectat, sedulo invigilent ne sacrae Reliquiae ullo modo profanentur, neve hominum incuria pereant, vel minus decenter custodiantur » (l. c., 1289, § 2). Nec laicis eas pertractare permittant et multo minus in Altari exponere.

492. — « Sacras Reliquias vendere nefas est; adeoque Ordinarii locorum, Vicarii foranei, Parochi, aliive curam animarum habentes, sedulo caveant ne sacrae Reliquiae, praesertim sanctissimae Crucis, occasione maxime hereditatum aut alienationis acervi bonorum, veneant, neve in acatholicorum manus transeant » (l. c., 1289, § 1).

493. — « Locorum Ordinarii ne sinant, maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus, vel commentariis fovendae pietati destinatis, ex meris coniecturis, ex solis probabilibus argumentis vel praeiudicatis opinionibus, praesertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus, quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate » (l. c., 1286).

494. — « Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit » (l. c., 2326).

CAPUT XLII.

DE SACRIS PROCESSIONIBUS

495. — « Nomine sacrarum Processionum significantur sollemnes supplicationes quae a populo fidei, duce Clero, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum » (C. I. C. 1290, § 1).

496. — PROCESSIONES aliae sunt *ordinariae* aliae *extraordinariae*:
I. - ORDINARIAE illae sunt quae statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum scilicet:

1. - In secunda die Februarii;
2. - In Dominica Palmarum;

3. - In Litanis maioribus nempe in vigesima quinta die Aprilis vel in vigesima septima eiusdem, quando praedicta dies occurrat in die Paschae;

4. - In Litanis minoribus triduo Rogationum ante Ascensionem Domini;

5. - In Festo Corporis Christi;

6. - In aliis statutis diebus pro Ecclesiarum consuetudine.

II. - EXTRAORDINARIAE vocantur quae, aliis publicis de causis, in alios dies indicuntur (C. I. C. 1290, § 2).

497. — Ius indicendi sacras Processiones extraordinarias habet Ordinarius loci, audito Capitulo Cathedrali (C. I. C. 1292), vel, in defectu Capituli, coetu Consultorum; nisi forte Ordinarius consecutus fuerit ampliorem potestatem ex consuetudine (Wernz, *Ius Decr.*, III, 365, V).

498. — Processionibus interesse debent:

I. - Omnes Clerici eidem Ecclesiae adscripti;

II. - Religiosae familiae virorum, etiam exemptae;

III. - Confraternitates laicorum.

Excipiuntur ab interventu:

I. - Regulares omnes, qui in strictiore clausura perpetuo vivunt, ut Camaldulenses, Cistercienses, Carthusiani;

II. - Regulares omnes, qui a loco Processionis ultra tria millia passuum distant;

III. - Qui speciali apostolico privilegio fruuntur;

IV. - Omnes, qui legitima consuetudine excusantur.

499. — Religiosi, etiam exempti, nequeunt extra suas Ecclesias et claustra Processiones ducere sine Ordinarii loci licentia, salvo iure in can. 1291, § 2 eis concesso quoad Processionem infra Octavam Corporis Christi (C. I. C. 1293).

500. — « Parochus vel quivis alius nequit Processiones novas inducere aut consuetas transferre vel abolere sine Ordinarii loci licentia » (l. c., 1294, § 1).

Regulas liturgicas circa Processiones trademus in Parte IV, in qua etiam agetur de sollemnitate SS. Corporis Christi in qua Processio maxime sollemnis omni cum magnificentia celebranda est.

CAPUT XLIII.

DE SUPELLECTILI AD DIVINUM CULTUM
RITE EXERCENDUM

ARTICULUS I.

De supellectili in genere

501. — SUPELLEX ad divinum cultum rite exercendum alia est consecrata, alia benedicta, aliaque nec consecrata nec benedicta.

SUPELLEX CONSECRATA VEL BENEDICTA VOCATUR SACRA et comprehendit vasa sacra, paramenta pro Celebrante et Ministris sacris, corporalia, pallae, mappae et Cruces Altarium.

502. — Supellex pro Ecclesiarum necessitate sufficiens ne desit, et custodiatur, praesertim benedicta et consecrata, in Ecclesiae Sacratio (v. n. 416), aliove tuto ac decenti loco, nec ad usus profanos adhibeatur.

« Rectores Ecclesiarum alique, quibus credita sit cura sacrae supellectilis, sedulo debent eiusdem conservationi et decori prospicere » (l. c., 1302).

503. — Universae sacrae supellectilis adsit accuratum ac distinctum inventarium et speciali modo descripta sint quae vel materia vel arte vel antiquitate pretiosa sunt. Huius inventarii exemplar alterum conservetur in tabulario administrationis, alterum in Archivo Curiae et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat (C. I. C. 1296, § 2; 1522, 3^o).

Optandum ut huiusmodi res arte praestantiores photographiae, quae dicitur, ope simillime producantur, et hae una cum elencho diligenter asserventur in Archivo Ecclesiae, earumque exemplar et elenchi ad Curiam Ordinariatus transmittatur.

504. — « Circa materiam et formam sacrae supellectilis, serventur praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliore quo fieri potest modo, etiam artis sacrae leges » (l. c., 1296, § 3). De quibus in tertio Articulo, suis in locis, dicemus.

505. — Obligatio providendi sacram supellectilem, salvis peculiaribus legitimisque consuetudinibus et conventionibus, et firma obligatione quae ad aliquem spectet etiam ex constituto legis civilis, incumbit:

A) pro Ecclesia Cathedrali, ordine qui sequitur:

I. - Bonis Fabricae.

II. - Episcopo et Canonicis residentialibus eiusdem Ecclesiae pro rata proventuum, detractis necessariis ad honestam sustentationem;

III. - Dioecesanis, quos tamen Ordinarius loci, suasionem magis quam coactione, inducat ad sumptus necessarios, pro eorum viribus, praestandos.

B) pro ceteris Ecclesiis, ordine qui sequitur:

I. - Bonis Fabricae Ecclesiae;

II. - Patrono;

III. - Iis qui fructus aliquos ex Ecclesia provenientes percipiunt, secundum taxam pro rata reddituum ab Ordinario statuendam;

IV. - Paroecianis, quos tamen Ordinarius loci ut supra, magis hortetur quam cogat.

506. — « Ecclesia Cathedralis debet sacram supellectilem aliaque quae ad Missae sacrificium vel ad alias pontificales Functiones necessariae sint, gratis Episcopo subministrare, etiam privatim celebranti, non solum in Ecclesia Cathedrali, sed in aliis quoque civitatis vel suburbii Ecclesiis » (l. c., 1303, § 1).

507. — « Si qua Ecclesia paupertate laboret, potest Ordinarius permittere ut a Sacerdotibus qui in proprium commodum inibi celebrant, propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria, moderata stipes exigatur.

« Episcopi, non autem Vicarii Capitularis aut Vicarii Generalis sine speciali mandato, est eandem stipem definire, et nemini, etiam religiosis etsi exemptis, licet ea maiorem exigere.

« Episcopus pro tota dioecesi eiusmodi stipem in dioecesana Synodo, si fieri possit, definiat, aut extra Synodum, audito Capitulo » (l. c., § 2, 3 et 4).

Circa sacram supellectilem pertinentem S. R. E. Cardinalibus necnon Episcopis residentialibus iam diximus respective sub n. 54 et sub n. 78, n. 7.

Quae praescripta sunt pro eisdem, applicentur quoque Clerico qui in aliqua Ecclesia beneficium saeculare vel religiosum obtinuerit (C. I. C. 1300).

ARTICULUS II.

De consecratione deque benedictione sacrae supellectilis.

508. — DE CONSECRATIONE. — Calix et Patena tantum indigent consecratione; quae consecratio peragenda est:

1. - Ab omnibus Episcopis;
2. A Praelatis caractere episcopali non insignitis, quibus ius potestatem hanc tribuit, ut S. R. E. Cardinales, Vicarii et Praefecti Apostolici, Abbates vel Praelati *nullius* (C. I. C. 239, § 1, 20^o; 294, § 2; 323, § 2);
3. Ab illis Sacerdotibus quibus speciale apostolicum privilegium eandem potestatem tribuit.

509. — DE BENEDICTIONE. — «Benedictionem illius sacrae supellectilis quae ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt:

1. S. R. E. Cardinales et Episcopi omnes;
2. Locorum Ordinarii, caractere episcopali carentes, pro Ecclesiis et Oratoriis proprii territorii;
3. Parochus pro Ecclesiis et Oratoriis in territorio suae parociae positus, et Rectores Ecclesiarum pro suis Ecclesiis;
4. Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis;
5. Superiores religiosi, et Sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis Ecclesiis et Oratoriis ac pro Ecclesiis monialium sibi subiectarum » (C. I. C. 1304).

510. — «Benedictio reservata quae a Presbytero detur sine necessaria licentia, illicita est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit » (l. c., 1147, § 3).

511. — «Sacra supellex benedicta aut consecrata benedictionem aut consecrationem amittit:

1. Si tales laesiones vel mutationes subierit ut pristinam amiserit formam, et iam ad suos usus non habeatur idonea;
2. Si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit » (l. c., 1305, § 1).

ARTICULUS III.

De supellectili in specie.

512. — I. - CALIX debet esse aureus vel argenteus vel saltem habere cuppam argenteam intus deauratam (Rit. ser. in cel. Miss. Tit. I, n. 1; D. 3136 ad 4); ob paupertatem aut necessitatem sufficit ut cuppa Calicis sit stamnea, dummodo intus deaurata (De Defect. Tit. X, n. 1).

Si adsint Calices confecti ex materia non permessa, non vero aerea vel vitrea, qui interdicti sunt quacumque causa, congruo assignato tempore, ab usu removendi sunt.

Loci Ordinarius «curet ne Calices a formis traditionalibus differant, ob periculum effundendi sacras Species et excitandi admirationem » (D. 4371).

II. - PATENA confecta esse potest ex quacumque materia, dummodo deaurata sit, saltem in parte superiore; decet tamen ex eadem materia qua Calix confecta sit.

«Calix et Patena non amittunt consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursus eam inaurandi » (C. I. C. 1305, § 2).

Curandum ne Calix cum Patena tangatur, nisi a Clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent (l. c., 1306, § 1).

III. - PYXIS esse debet ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, cooperta albo velo serico et, quantum res feret, ornato (l. c., 1270).

Quoad materiam ergo non requiritur ut ex auro vel argento confecta sit, ac praesertim pro Ecclesiis pauperibus permittitur usus Pyxidis ex aurichalco, ex cupro, ex stamno confectae, sed decore deauratae (D. 3162 ad 6).

Pyxis vitrea, exclusa quacumque causa, interdicta est (D. 3511). In summitate operculi Pyxidis parva Crux emineat.

Singulae Ecclesiae parociales habeant parvam Pyxidem ad Communionem infirmorum decore pariter elaboratam, vel parvam capsulam rotundam ex eadem materia Pyxidis. Parva Pyxis vel Capsula, quando SS. Eucharistia Infirmis privatim defertur, inclusa esse debet in bursam ex serico albo decenter ornatam ad collum appendendam.

IV. - OSTENSORIUM, ex eadem Pyxidis materia, in eius summitate Crucem visibilem habere debet (D. 2957).

V. - CAPSULA, ad Hostiam in Ostensorio exponendam asservandam, pariter confici potest ex eadem materia Ostensorii, dummodo in parte interiore sit inaurata.

VI. - LUNULA ex solido metallo, ut supra, inaurato confecta, ita in Ostensorio inseri debet ut inde commode extrahi possit. Lunula divisa sit in partes duas mobiles ut facile a fragmentis purgetur.

VII. - PARVA PATINA, adhibenda ne fragmenta in humum decendant quoties Sacerdos Christi Corpus fidelibus praebet, argento aut metallo confecta sit, nullimode tamen artificiosa arte intus exculpta (Instruct. S. C. Sacr., die 26 Mart. 1929, n. 5).

VIII. - CORPORALE, PALLA ET PURIFICATORIUM ex lino vel cannabe tantum sint, non ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem aemulante et aequante (DD. 1287; 2600; 3387) et S. R. C. non permisit adhibere ea neque donec confecta consumerentur (DD. 2600; 3868).

CORPORALE esse non debet auro vel serico intertextum, et in eo pingi potest acu, albo filo, tantum Crux in anteriori parte.

PALLA a superiore parte panno serico aut ex auro vel argento et acu depicto permitti potest, dummodo Palla linea subnexa Calicem cooperiat ac pannus superior non sit nigri coloris nec referat aliqua mortis signa (D. 3832 ad 4).

In media parte PURIFICATORII parva Crux, filo albo, acu pingi potest, ut Purificatorium a manutergio distinguatur.

« Studendum... ut Corporale, sanctissimum Christi Corpus excepturum, candidum iugiter servetur et quaevis ab eo macula absit, itemque munda sint oportet... Palla atque Linteolum, quod ad detergendum Calicem adhibetur » (Ex Instr. S. C. Sacrament. diei 26 Mart. 1929, n. II).

« Purificatoria, pallae et corporalia, in Missae sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis, etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a Clerico in maioribus ordinibus constituto; aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem » (C. I. C. 1306, § 2).

Curandum etiam est ne Purificatoria, Pallae et Corporalia, in Missae sacrificio adhibita, tangantur, nisi a Clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent (l. c., § 1).

IX. - PARAMENTA pro Missae sacrificio sacrisque Functionibus, neque sordida unquam sint, neque discissa, sed integra et munda, imo vero pulchra et benedicta ad normam C. I. C. 1304 (v. n. 509). In conficiendis et adhibendis paramentis recedere non licet, incon-sulta Sede Apostolica, ab usu in Ecclesia Romana recepto, aliumque modum et formam etiam antiquam inducere (D. 4398).

Paramenta coloris flavi, aurei, cerulei, etiamsi ex serico, interdicta sunt (DD. 2682 ad 50; 2704 ad 4; 2769 Dub. V ad 1; 2788 ad 2; 2986 ad 5; 3191 ad 4; 3779 ad 3).

Paramenta ex tela contexta aureis seu inauratis filamentis, ratione pretiositatis adhiberi queunt pro tribus coloribus: albo, rubro et viridi (DD. 3145; 3191 ad 4; 3646 ad 2). Textile vero argenteum permittitur pro paramentis albi coloris tantum (D. 3646 ad 3). Si opus textile aureum vel argenteum exornat sericum coloratum huius color erit considerandum.

Paramenta ex serico variis coloribus et floribus intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, usurpari nequeunt mixtim pro albo, rubro et viridi colore (D. 2769 Dub. V ad 2).

Omnia paramenta sacerdotalia et sacrorum Ministrorum ex gossypio, lana, lino, tela ex urticis prohibita sunt (DD. 2769 Dub. V ad 3; 3387; 3779 ad 1); imo praescripta sunt tantum paramenta serica vel auro argentoque contexta (DD. 3543; 3628), sed, attenta Ecclesiarum paupertate, tolerantur paramenta ex panno, qui ex parte externa et oculis intuentium apparente ex filo serico integre contextus sit, sed habens operis textilis fulcimentum in gossypio, lana vel lino (D. 3543).

In omnibus Ecclesiis etiam non pauperibus adhiberi possunt paramenta ex quodam texto confecto ex serico et mori fibris, dummodo textum huiusmodi numquam, nova adiecta materia, immutetur (D. 3796).

STOLA LATIOR qua utitur Diaconus, dum deponit planetam plicatam, habere non debet intextas tres Cruces (D. 3006 ad 7).

X. - AMICTUS et ALBA sint ex eadem materia ex qua Corporale confici debet (v. n. VIII). In medio AMICTUS adsit Crux cum filo albo acu depicta; eius extremitates, praeterquam ex parte qua collum tangit, aliquo modesto opere vel textili denticulato exornari possunt. Funiculi pariter ex lino vel cannabe sint, esse tamen possunt etiam ex serico vel alia materia, et cuiusque coloris.

In ALBARUM manicis et in fimbriis tolerari potest ut fundus coloratus suppositus sit textili denticulato vel operi phrygio (DD. 3780 ad 5; 3804 ad 12; 4048 ad 7).

Albis ulla serica vitta, vel acu depicta vel simplex, non apponatur.

XI. - CINGULUM sit ex lino, vel serico, vel lana albi coloris vel coloris conformis respectivis sacris paramentis (DD. 2194 ad 3; 3118), sed in Missae sacrificio Cingulo lineo quam serico congruentius utendum est (D. 2067 ad 7).

Eius forma funiculi, non fasciae sit, sed ubi viget consuetudo utendi cingulis ad instar fasciae, consuetudo haec tolerari potest, donec huiusmodi cingula consumerentur (D. 4048 ad 6).

XII. - MISSALIA sint recentia et vel typica, vel ad typicam editionem conformata; in eis non desint Missae novissimae a S. C. R. praescriptae pro Ecclesia universali.

XIII. - CANON PONTIFICALIS pariter non desit pro Missis a Praelatis celebrandis.

XIV. - LEGILE ad Missale sustinendum sit convenienter elevatum.

XV. - PULVINUS item pro Missali sit coloris convenientis paramentis et in eius ornatu nihil profanum sit.

XVI. - URCEOLI VINI ET AQUAE pro Missae sacrificio sint ex mundissimo vitro; si vero sint circumvestiti argento vel alio metallo, clarissime pateat quid in eis contineatur, ne forte ex errore in Sacrificio pro vino aqua infundatur.

PELVICULA sit ex eadem materia ac Urceolorum, vel ex metallo.

XVII. - URCEUS ET PELVIS pro Missis Praelatorum sint ex argento vel alio metallo deargentato; pro Missis S. R. E. Cardinalium sint ex argento deaurato, vel ex alio metallo pariter deaurato.

XVIII. - MANUTERGIUM ET MANTILIA. - Quamvis eorum materia non praescribatur, tamen decet ex lino vel cannabe ea confici.

XIX. - INSTRUMENTUM PACIS sit ex argento vel alio metallo deaurato vel inargentato, eleganter exsculptum, et exhibeat aliquam piam Imaginem.

XX. - CAMPANULA pulsanda in Missa, etiam in Oratorio privato (D. 3638 ad 3), decens sit; et eius loco adhiberi nequit quoddam Cymbalum dictum «*Indorum Orientalium*», quod est ad modum magni catini semipendentis ab hasta lignea (D. 4000 ad 3).

XXI. - SUPERPELLICEA. - Ne desint superpellicea pro Ecclesiarum necessitate; et quamvis eorum materia a S. R. C. declarata non fuit, tamen decet ut confecta sint e tela potius tenui; exornari possunt aliquo textili reticulato. Superpelliceis nulla vitta serica, acu depicta vel simplex, apposta sit.

XXII. - VESTES CHORALES pro laicis Altari inservientibus, sint semper decentissimae.

XXIII. - VESTIS TALARIS decens adsit pro Sacerdotibus advenis, quam induant antequam sacra paramenta sumant.

«Parochi et Rectores Ecclesiarum in sua quisque Ecclesia ad celebrandum Missae sacrificium Sacerdotes ne admittant nisi sint, iuxta praescriptum canonis 804, § 2, ecclesiastica veste induti, veste nempe de qua in canone 811, § 1» (Ex Decr. S. C. Concilii, die 28 Iul. 1931).

XXIV. - DE THRONO EXPOSITIONIS SS. SACRAMENTI. - Thronus constare debet planitie praealta, postergali et baldachino albi co-

loris. Loco postergalis apponi possunt radii deaurati super serico albi coloris vel fundo argenteo. Baldachinum habere potest formam regiae coronae vel ex ligno, eleganter exsculpto, vel ex metallo deaurato. Basis Throni sit satis ampla, et super eam extensum sit Corporale.

XXV. - BALDACHINUM PRO SS. SACRAMENTI PROCESSIONE. - Baldachinum confectum sit ex serico albo, acu depicto, vel e panno auro vel argento intexto. Caeremoniale Episcoporum (L. 1, cap. 14, n. 1) praescribit, ut Baldachinum sex vel octo hastis sublevetur. Pro Ecclesiis vero minoribus Baldachinum saepe constat quatuor hastis, sed non prohibetur sex hastis confectum habere (D. 1435).

XXVI. - DE UMBELLA. - Umbella sustentata sit ab uno hastile in media parte ita flexo, ut, cum ab eo qui post Sacerdotem, SS. Eucharistiam deferentem, incedit, sustentatur, in ipsius tamen Sacerdotis caput ample diffundatur.

Umbella confecta sit ex panno eiusdem materiae ac paramentorum, coloris albi, vel ex tela aurea vel argentea. Potest esse confecta etiam e panno subserico vel saltem zambelloto.

In summitate hastilis apposta sit laudabiliter Crux vel eucharisticum symbolum.

XXVII. - URNA PRO FERIA V IN COENA DOMINI. - Sit haec Urna elegans, pulchre ornata et clavi firmata; intus Corporale habeat. Quando Urna clausa sit, ex ulla parte Calix inclusus apparere non debet (D. 3660 ad 1).

XXVIII. - DE THRONO EXPOSITIONIS SS. RELIQUIARUM. - In expositione Reliquiarum Dominicae Passionis adhiberi potest Thronus cum postergali et baldachino rubri coloris; in expositione vero Reliquiarum B. Mariae Virg. et Sanctorum adhibeatur parvus Thronus absque baldachino.

XXIX. - BALDACHINUM PRO RELIQUIIS DOMINICAE PASSIONIS sit rubri coloris, pro Feria VI in Parasceve violacei coloris.

XXX. - OMNIA QUAE PRO FUNCTIONIBUS MAIORIS HEBDOMADAE NECESSARIA SUNT non desint, scilicet: Candelabrum triangulare; Crux lignea cum velo violaceo vel nigro, iuxta consuetudinem; candelabrum pro Cereo paschali; pulvinaria violacei et nigri coloris; pannus violaceus oblongus, pulvinus e serico villosio violaceo auroque factus, velum album serico violaceo intertextum pro Crucis adoratione; legilia pro Passionis Cantoribus; arundo; libri in numero sufficienti pro Clero et Cantoribus.

XXXI. - MARTYROLOGIUM ROMANUM, BREVIARIUM, CETERI LIBRI CHORALES sint recentes et vel typica vel ad typicam editionem conformati.

XXXII. - PANNUS EMORTUALIS pro adultis sit niger et eius ornamenta, sobria (DD. 3035 ad 11; 3263; 4165 ad 5; 4397 ad 7).

XXXIII. - TUMULUS sit sobrie ornatus eiusque summitas nigra lodice cooperta.

Supra Tumulum vel nullum signum apponatur vel illud dumtaxat quod designat qualitatem personae: triregnum pro Pontifice Summo, pro Episcopo mitra, biretum aut stola violacei vel nigri coloris pro Sacerdotibus. Pro laicis quoque apponere licet stemmata gentilitia aliaque insignia Defuncto convenientia et ab Ecclesia non prohibita. Defuncti imago exponi nequit et ubi huiusmodi usus viget curandum est ut eliminetur abusus (D. 3898).

De suppellectili necessaria ad cultum divinum rite exercendum non memorata in hoc Articulo, iam supra diximus, nempe: de CHRISMALE (v. n. 387), de TOBALEIS ALTARIS (*ibi*), de CRUCE (v. n. 389), de CANDELABRIS (v. n. 390), de TABELLIS SECRETARUM (v. n. 391), de VASCULIS FLORUM (v. n. 392), de PALLIO, (v. n. 393), de TAPETI (v. n. 394), de LAMPADIBUS (v. n. 395), de BALDACHINO ALTARIS (v. n. 397), de THRONO EPISCOPALI (v. n. 398), de FALDITORIO (v. n. 399), de SCAMNO PRO CELEBRANTE ET SACRIS MINISTRIS (v. n. 400), de ABACO (v. n. 401), de CHORO (v. n. 402).

APPENDIX

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE QUIBUSDAM PRAELATIS ROMANAE CURIAE ET VARIIS EORUM ORDINIBUS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad incrementum decoris Apostolicae Sedis quantum contulerit hodieque conferat Romana Praelatura, nemo ignorat qui vel eius anteacti temporis historiam noverit, vel suis ipse oculis magnam illam honestatis vim sit admiratus, quam splendidis pompis rebusque sacris faciendis varii Praelatorum ordines afferunt, in iis maxime sollemnibus ritibus, qui, Nobis adstantibus vel etiam Nobis Ipsis celebrantibus, tanta maiestate peraguntur.

Qua in re mirabile sane apparet Decessorum Nostrorum consilium atque sapientia, qui praestantes partes in ipso pontificalis liturgiae ministerio his Praelatis tribuerunt, quibus praecipue iuris dicendi munus commiserant, quod itidem nobilissimum est sacerdotium. Inde est ut aspicientibus Nobis e Pontificali Solio, re sacra vertente, ex hisce egregiis magistratibus nonnullos minorum ministrorum vestibus indutos, ad ipsius Solii gradus sedentes, illa symbolice expressa videatur perfecta regiminis constitutio, quae in iustitia fundatur: « Iustitia regnorum fundamentum ».

Nos vero, considerantes gravissimas sane partes in Ecclesiae gubernatione, post Purpuratos Patres, iis demandatas esse Praelatis, qui in Sacris Romanis Congregationibus vel assident vel sunt

a secretis, quique propterea earundem Sacrarum Congregationum vel Assessores vel Secretarii vocantur, ut horum dignitas, quae ab ipsorum tam proxima cum Romano Pontifice in Ecclesiae regimine collaboratione aestimari debet, maioribus usque honoris significationibus honestetur, quemadmodum, decreto Sacrae Congregationis Caeremonialis die 31 Decembris 1930 lato, iis titulum *Excellentiae Reverendissimae* concessimus, ita nunc volumus ut iidem, ratione muneris, peculiaribus sint privilegiis honestati, necnon in sacris sollemnibusque ritibus coram Summo Pontifice aut ipso Pontifice celebrante peragendis, etiamsi caractere episcopali careant, peculiarem deinceps et honorificentissimum locum ex officio habeant; quod pariter dicimus de aliis Praelatis quibus ob dignitatem muneris quo funguntur, eodem superius allato decreto eundem *Excellentiae Reverendissimae* titulum tribuimus.

At aestimatio Nostra ac paterni animi sensus erga illos quoque venerabiles Praelatorum ordines, qui Praelaturae Collegia proprie dicta constituunt, in Nobis augentur quoties mente repetimus insignia observantiae pietatisque erga Apostolicam Sedem testimonia, quibus eorum historia cumulate clarescit. Primos illos Ecclesiae Notarios dicimus qui maximorum actuum gestorumque Romanorum Pontificum, sive in Conciliis sive extra, irrefragabiles testes sunt constituti. Familiares deinceps Nostros commemoramus, qui in nobilissimum iudicum Collegium Sacrae Romanae Rotae congregati, Romanae in iure dicundo sapientiae, quae christiana iustitia est illustrata, tanquam germani heredes per tot saecula claruerunt. Illos etiam commemoramus Camerae Apostolicae Praelatos qui ad utilitatem Romanae Ecclesiae ac pauperum sustentationem Sedis Apostolicae thesaurum ita administrarunt, ut iis ipsum Pontificii Principatus temporale regimen quondam demandaretur. Votantes denique ac Signaturae Apostolicae Referendarios dicimus, qui olim, supplicibus libellis, de gratia et iustitia agentibus, Romano Pontifici oblatis, quid concedendum esset, quid autem denegandum, discernebant, recentiore tandem tempore ad Cardinales suis votis iuvandos circa negotia ad Sacram Rotam committenda, ac etiam, nonnumquam, circa ipsius Rotae pronuntiata, sunt adlecti.

Ex his vero Collegiis — quae, ad normam in Nostra Curia receptam, ordine enumeravimus, ratione prioritatis habita qua in Collegium sunt constituta et ad Nostrum Sacellum admissa — Romanae Rotae Auditores et Votantes Signaturae, quippe qui impensius iustitiae negotiis incumbant, arctiorem etiam in Pontificali Liturgia partem habent, ut Subdiaconi alii, alii vero ut Acolythy apostolici;

at ad ceteros quoque conspicua pars spectat, ut a limine commemoravimus, in pompis et in sacris pontificalibus.

Quae cum ita sint, mirum non est Praedecessores Nostros, quibus apprime constabant praeclara munera ab his fidelibus ministris digne expleta, singularem quandam familiaritatem iis concessisse; quandoquidem Suae curae atque sollicitudinis in rebus sacris gerendis partem cum ipsis communicarunt, eosque, in iis quae ad proprium ipsorum pertinent munus, Pontificis veluti personam apud fideles gerentes, conspicuis privilegiis etiam liturgicis gradatim ornarunt; idque non tantum praestiterunt ut eorum operam praemium cum laude sequeretur, verum etiam ut exterior dignitas arctam, quam ex officio habent, cum ipsius Pontificis persona coniunctionem omnibus demonstraret. Quae privilegia, identidem sollemnibus Constitutionibus et Litteris Apostolicis sancita, tot tantisque additamentis eo creverunt, ut non facile omnes ubique perfectam sibi illam comparare possint notitiam, quae omnino requiritur ut eorundem integer atque pacificus usus in tuto sit. Quare, statim ac sapientissimus Praedecessor Noster Benedictus XV Codicem iuris canonici promulgavit, cuius canon 328 iubet ut de hisce Praelatis privilegia, regulae et traditiones pontificiae Domus serventur, desiderium saepe propositum est et votum ut haec quoque pars peculiaris iuris in congruum redigeretur ordinem. Quae optata eo libentius Nos excepimus cum iam, favente Deo, non ultima cura Nobis incumbat varios Pontificiae Curiae gradus, quae eam regali honestant varietate, ad pristinum splendorem revocare.

Quamobrem, suam singulis Collegiis alacrem navantibus operam, re mature perpensa una cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi Caeremoniali praepositi sunt, statuimus clara forma et ad tempora accommodata definire, iuxta generales normas communis iuris canonici quod iam sapienter in Codicem redactum est, singulorum constitutionem et privilegia, quae in posterum ratione dumtaxat ac forma quae hic subiicitur, nec prorsus aliter usurpanda erunt, sublatis et revocatis, ad normam can. 22, aliis quibusvis praesenti lege non contentis. Qua occasione, ut diximus, etiam peculiaris privilegia, quae Praelatis in Sacris Romanis Congregationibus Assessoris vel Secretarii munere fungentibus aliisque superius commemoratis concedenda putavimus, ex ordine recensebimus.

Itaque, de Apostolicae plenitudine potestatis, haec quae sequuntur per Apostolicas has Litteras statuimus ac decernimus:

I.

DE IPSIS PRAELATORUM ORDINIBUS.

I. Inter Praelatos Romanae Curiae, post Praelatos vulgo « di fiocchetti » nuncupatos, primum locum immediate obtinent, ratione muneris, Excellentissimi Praelati qui in Sacris Romanis Congregationibus Assessoris vel Secretarii munere funguntur, etsi caractere episcopali careant. Attamen verum et proprium Collegium iidem non constituunt.

II. Vera autem Praelatorum Collegia apud Romanam Curiam quatuor numerantur, quae iuxta ordinem *praecedentiae* hic describuntur, nimirum:

1. Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium;
2. Collegium Praelatorum Auditorum Sacrae Romanae Rotae;
3. Collegium Clericorum Reverendae Camerae Apostolicae;
4. Collegium Praelatorum Votantium Signaturae Apostolicae; cui quidem Collegio adiiciuntur, quamquam verum et proprium Collegium non constituunt, Praelati Referendarii eiusdem Signaturae Apostolicae.

III. Hunc *praecedentiae* ordinem servabunt non ipsa modo Collegia inter se, sed singula uniuscuiusque Collegii membra, hac scilicet ratione, ut qui ad Collegium superius pertineat, praecedat omnia membra Collegiorum inferiorum, Decanis eorundem non exclusis. In Cappella tamen Papali *praecedentiae* ordo et locus singulis ex membris horum Collegiorum tribuendus determinatur a *Libro Sacrorum Rituum S. R. E.* nec non a Bullis Pontificiis.

IV. In quolibet Collegio collegas ceteros praecedit Decanus, primus inter pares; collegae vero inter se ordinem tenent nominationis secundum tempus quo Litterae Apostolicae in forma brevi datae sunt; quod si has Litteras eodem die habuerint, ordinem temporis quo primum inter Praelatos, universim sunt cooptati, secus ordinem recepti sacerdotii, vel tandem, si eodem die sacerdotio sint initiati, ordinem tenent aetatis.

V. Sodales *emeriti* Collegiorum Praelatorum, de quibus agitur numeris XXVIII, LXXXII, CVI et CXXX, modo ad dignitatem superiorem promoti non fuerint, subsequuntur immediate proprii Collegii membra ordinaria; inter se vero ordinem tenent qui numero IV descriptus est.

VI. Quod spectat ad praecedendi rationem Praelatorum relate ad ceteras personas ecclesiasticas vel laicas, haec determinatur a privilegiis uniuscuiusque Collegii; salvo iure *praecedentiae* Excellentissimis Assessoribus et Secretariis Sacrarum Congregationum aliisque quibusdam collato, ut infra numeris XIX et XXI dicitur.

VII. Habitus praelaticus, vulgo « di formalità », seu in sacris functionibus adhibendus ab omnibus Praelatis Romanae Curiae, de quibus in praesenti Constitutione, sive pertinent ad Collegia praefata, sive non pertinent, ille est quo utuntur Praelati Domestici quique constat veste talari

violacei coloris ex lana vel serico, iuxta anni tempora, cum cauda, nunquam tamen explicanda; reflexus in manicis (*paramano*), margines vestis nec non mantelletti torulus (*filettatura*), ocelli et globuli erunt serici et *rubini* coloris. Zona cum nappis erit serica et violacea; violacea quoque erunt collare et caligae. Calceamenta fibulis erunt ornata. Bireto omnino nigro flocculus imponetur violacei coloris et pileo, item nigro, circumducetur chordula violacea cum flocculo eiusdem coloris. Rocchettum opere phrygio seu reticulato (*pizzo*) ornabitur, cui si quid supponatur in manicis (*trasparente*), eiusdem coloris esse debet ac reflexus vestis. Quinam autem sit color violaceus adhibendus, definitur decreto S. C. Caeremonialis die 24 Iunii 1933 lato, cui omnino standum est.

Protonotarii Apostolici utuntur bireto nigro cum flocculo rubini coloris et pileo cum chordula item rubini coloris.

Vacante Sede Apostolica, vestes erunt laneae et nigrae, cuius coloris erunt quoque collare, caligae, zona cum nappis. Rocchettum erit simplex sine opere phrygio seu reticulato. Flocculus bireti et chordula pilei non mutabuntur.

VIII. In functionibus collegialibus et in Cappellis Pontificiis, Praelati quattuor Collegiorum, de quibus agitur, scilicet Protonotarii Apostolici, Auditores S. R. R., Clerici R. C. A., et Votantes Signaturae Apostolicae, deposito mantelletto, induent supra rocchettum cappam laneam cum vel sine pellibus armellineis, prout tempus fuerit hibernum vel aestivum.

In sacris functionibus in quibus ipse Summus Pontifex solemniter celebrat, Praelati de quibus supra dictum est, exceptis Assessoribus et Secretariis Sacrarum Congregationum (n. XVIII) aliisque quibusdam, de quibus num. XXI, et Protonotariis Apostolicis, induent superpelliceum supra rocchettum.

IX. Habitus praelaticus, vulgo *piano*, in civilibus tantum adhibendus, constat veste talari nigra sine palliolo (vulgo *pellegrina*), cum torulo, ocellis et globulis rubini coloris; zona cum laciniis (*frange*) erit violacea et item erunt violacea collare, caligae et pallium talare sericum (*ferraiolone*). Calceamenta habebunt fibulas, pileus chordulam violaceam, firmis quae supra constituta sunt de Protonotariis Apostolicis.

Uti poterunt peramplo pallio talari violaceo (*mantello o tabarro*) absque torulo sed cum subsuto serico violaceo.

Vacante Sede Apostolica pallium talare erit laneum et nigrum.

X. In collegialibus actibus minoris momenti arbitrio Praesidis uniuscuiusque Collegii erit eligere inter habitum praelaticum et cappam.

II.

DE EXCELLENTISSIMIS ASSESSORIBUS ET SECRETARIIS IN SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS.

XI. Primus ex Praelatis Officialibus, qui in singulis Sacris Congregationibus Romanis negotiis expediendis praesunt, Assessor vel Secretarius

dicitur: Assessor quidem si illius Sacrae Congregationis Praefectus est ipse Romanus Pontifex, Secretarius vero si Praefectus est quidam Pater Cardinalis. Assessores et Secretarii sunt tamen dignitate aequales, salvo ordine praecedentiae cum. XIX statuendo.

XII. Assessores et Secretarii, de quibus in numero praecedenti, ex decreto Sacrae Congregationis Caeremonialis die 31 Decembris 1930 lato, *Excellentiae Reverendissimae* titulo fruuntur; ideoque singulorum titulus hic est: Exc.mus ac Rev.mus D. N. N. Assessor (vel Secretarius) Sacrae Congregationis N. (Italice: *Sua Eccellenza Rev.ma Monsignore N. N. Assessore, o Segretario, della Sacra Congregazione N.*).

1. — Nominatio et muneris occupatio.

XIII. Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum Romanarum nominantur a Summo Pontifice per litteras Cardinalis Secretarii Status, praemonito Cardinali Secretario vel Praefecto respectivae Congregationis.

XIV. Acceptis Litteris Apostolicis in forma brevi nominationis, novus Assessor vel Secretarius suum respectivum Cardinalem Secretarium vel Praefectum primum invisat, ab eoque audiat quando et quomodo munus suum inire debeat, servata forma quae in singulis Congregationibus iamdudum ex consuetudine adhiberi solet. Postea invisat Eminentissimos Cardinales suae Congregationis.

XV. Audientiam Summi Pontificis quamprimum petat ad gratias Beatissimo Patri agendas de sua promotione; itemque Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status adeat et, post acceptam possessionem muneris, alios quoque Patres Cardinales invisat. Ceteros autem Praelatos Assessores vel Secretarios Sacrarum Congregationum, cum primum poterit, invisere ne praetermittat.

XVI. Quaenam autem sint horum Praelatorum munera et officia e canonibus 242-264 I. C. et ex legibus ac praxi cuiusque Sacrae Congregationis desumatur.

2. — Facultates et privilegia.

XVII. Singuli Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum omnibus iuribus, privilegiis et insignibus Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium infra (nn. XLI-XLIX) recensendis (iis exceptis quae ad Protonotariorum Collegium qua Collegium pertinent) gaudent *ad personam* durante munere, etiamsi horum Collegio non adscribantur.

XVIII. Pro Consistoriis et Cappellis Pontificiis deinceps *intimationem* accipient a Praefecto caeremoniarum apostolicarum et praefatis functionibus interesse debent, in iisque locum habebunt, cappa induti, immediate post Praelatos qui vulgo « di fiocchetti » vocantur.

XIX. Hunc praecedentiae gradum supra alios Praelatos, infra Praelatos vulgo « di fiocchetti » constitutos, etiam episcopali seu archiepiscopali dignitate fulgentes, salvo iure Metropolitae vel Ordinarii loci in suo ter-

ritorio, habebunt ubique, etiam singuli. Quando vero omnes vel plures simul conveniunt, Assessores et Secretarii qui archiepiscopali aut episcopali dignitate aucti sint, reliquis antecedant, et caeteris paribus, Assessores praecedant Secretarios, servato ordine vigente inter Sacras Congregationes.

XX. His privilegiis fruuntur tantummodo durante munere; deposito vero munere, nisi ad cardinalicium vel aliam dignitatem assumantur quae cum Protonotarii dignitate componi nequeat, aut nisi aliud expresse caveatur, statim, ipso iure, Protonotarii *ad instar* fiunt, cum omnibus iuribus et privilegiis huic dignitati adnexis.

XXI. Omnia quae de Assessoribus et Secretariis Sacrarum Congregationum Romanarum in hoc capite dicuntur, ea, congrua congruis referendo, dicta intelligantur etiam de aliis Praelatis, quibus memorato decreto Sacrae Congregationis Caeremonialis, die 31 Decembris 1930 lato, titulus *Excellentiae Reverendissimae* agnitus et tributus fuit, id est Magistro seu Praefecto cubiculi secreti Summi Pontificis, Secretario Tribunalis Signaturae Apostolicae, Decano Sacrae Romanae Rotae, Substituto Secretariae Status; qui, salvis peculiaribus officiis et locis alicui ex his Praelatis in Cappellis Papalibus iuxta hanc ipsam Constitutionem, ut infra habetur, forte assignatis, immediate post praedictos Assessores et Secretarios locum habent, servato inter se ordine superius enunciato; si quis vero ex iis sit archiepiscopali vel episcopali dignitate ornatus, ceteris praecedit, sed post Assessores et Secretarios.

III.

DE COLLEGIO PROTONOTARIORUM APOSTOLICORUM DE NUMERO PARTICIPANTIUM.

XXII. Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium constat septem Praelatis quibus iura sunt paria; ex iis qui ceteris nominatione, etc., iuxta normam numero IV expositam, antecedit, titulo Decani honestabitur. Collegium ipsum ad pluralitatem suffragiorum nominat Secretarium sacerdotem aliquem *extra Collegium* hancque nominationem litteris consignat.

XXIII. Titulus Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium erit sequens: R. P. D. Protonotarius Apostolicus (Italice: *Ill.mo e Rev.mo Monsignore N. N. Protonotario Apostolico*).

1. — Nominatio et muneris occupatio.

XXIV. Protonotarii Apostolici de numero Participantium nominantur Litteris Apostolicis in forma brevi. Secretaria Status Summi Pontificis praemonet per litteras de hac nominatione cum eum cuius interest, tum Decanum Collegii Protonotariorum.

XXV. Acceptis litteris e Secretaria Status Summi Pontificis, cooptandus inter Protonotarios audientiam petit eiusdem Summi Pontificis, invitique obsequii causa Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status nec non Decanum et Praelatos Collegii Protonotariorum.

XXVI. Postquam accepit Litteras Apostolicas novus Protonotarius, adstante toto Collegio, vel, in casu extraordinario, coram duobus saltem Protonotariis a Collegio delegatis, munus suum occupat ratione quae describitur: a) exhibet Breve nominationis; b) professionem Fidei facit ad normam canonis 1406 I. C.; c) iuramentum fidelitatis addit iuxta peculiarem formulam; d) impositionem accipit rocchetti, cappae, bireti et pilei semipontificalis; e) admittitur tandem ad amplexum Collegiarum.

XXVII. Post acceptam possessionem muneris, de qua supra, invisit quoque ceteros Eminentissimos Cardinales itemque ceteros Praelatos Aulae Pontificiae et Romanae Curiae iuxta statuta Collegii.

XXVIII. Si quis Protonotarius de numero Participantium post decem annos a sua cooptatione Collegium relinquit, per novum quinquennium eiusdem privilegiis fruitur: dein, ipso iure, fit Protonotarius *ad instar*. Quod si ante decennium e Collegio discedat, statim, ipso iure, fit Protonotarius *ad instar*. Haec intelliguntur de iis qui Collegium relinquunt nec tamen assumuntur ad dignitatem cardinalicium vel aliam quae componi nequeat cum Protonotarii dignitate. Si vero aliquando, ex gratia pontificia, Protonotarius Participans aliquis declaretur *emeritus*, is omnibus privilegiis honorificis Collegii frui poterit, iuxta numerum V.

XXIX. Habent ubique, sed durante munere tantum ut dictum est num. XVII, insignia et privilegia Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium Excellentissimi Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum aliique quidam Praelati qui eis assimilantur (num. XXI).

XXX. Eadem insignia et privilegia, sed durante munere et in proprio territorio tantum, habent etiam Vicarii Apostolici et Praefecti Apostolici, necnon Administratores Apostolici dioecibus ad tempus dati.

2. — Munera.

XXXI. Ad Collegium Protonotariorum pertinet, excepto tempore Sedis Vacantis, officium exarandi praecipua Sedis Apostolicae acta, nec non Consistoriorum publicorum et semipublicorum atque Conciliorum Generalium. Item exarandi acta cum novi Cardinales suos Titulos vel Diaconias in possessionem accipiunt et in aliis quibusdam casibus peculiaribus. Quattuor ex Protonotariorum Collegio semper intersunt Canonizationibus, Conciliis, Consistoriis publicis et semipublicis apud Solium Pontificis ut horum acta pro sua quisque parte exarent.

XXXII. Instrumenta, a Protonotariis confecta, publicam fidem faciunt etsi tantum ab uno Protonotario rogato subsignentur, et alii testes desint.

XXXIII. Unus ex membris Collegii, litteris Secretariae Status Summi Pontificis, adscribitur Sacrae Congregationi Rituum, tamquam Praelatus

Officialis. Huic ius et officium competit adsistendi omnibus conventibus Sacrae Rituum Congregationis nec non conventibus qui apud E. mum Cardinalem Praefectum habentur, et, in Urbe, sessionibus processuum Apostolicorum in causis Servorum Dei, in quibus ipse Notarii munere fungitur, iuxta canones 2013, § 2, et 2073 I. C.

XXXIV. Protonotarii qui sint Doctores *in utroque iure* sunt ipso facto Praelati Referendarii Signaturae Apostolicae.

XXXV. Post suppressum Collegium Abbreviatorum de *Parco Maggiore* quod dicebatur, duo Protonotarii Apostolici per vices Bullas omnes subsignant quae in Cancellaria Apostolica dantur.

XXXVI. Pertinet ad Collegii Decanum Bullam indictionis Anni Sancti primo vulgare, quod officium alias ad Abbreviatorem Curiae pertinebat.

XXXVII. Conclavis tempore, Protonotariorum est, emisso iuramento, Rotam custodire ipsis assignatam, quod peragunt habitu praelaticio induti de quo in n. VII.

3. — Facultates.

XXXVIII. Collegium Protonotariorum Apostolicorum nominare potest semel quotannis unum Protonotarium Apostolicum *titularem* seu *honorarium*, iuxta Constit. *Cum innumeri* Pii VII, diei 13 Decembris 1818, et Litteris Apostolicis a Pio X, motu proprio datis *Inter multiples*, nn. 59 et 60, cum iuribus in iisdem Litteris statutis, nn. 59-76.

XXXIX. Collegium condere potest atque reformare propria Statuta, nec indiget ad hoc ulla cuiusvis approbatione, modo ne quid statuatur quod iuri communi vel praesenti Constitutioni et Legi propriae adversetur.

XL. Ad negotia propria tractanda, de quibus agitur in numeris XXXVIII, XXXIX, Protonotarii collegialiter conveniunt.

4. — Privilegia.

XLI. Protonotarii Apostolici de numero Participantium, hoc ipso Praelati sunt Domestici et propterea Familiares Summi Pontificis. Eximuntur ab iurisdictione Ordinariorum locorum.

XLII. Vestibus praelaticis utuntur iuxta dicta in numeris VII, VIII, IX et X.

XLIII. Gaudent iure Pontificalium iuxta Litteras Apostolicas a Pio X motu proprio datas *Inter multiples*, nn. 5-9.

XLIV. In Missis cum cantu, sed non pontificalibus, et in Missis lectis cum aliqua solemnitate iis tantum honoris signis uti possunt, quae in Litteris Apostolicis a Pio X motu proprio datis, *Inter multiples*, n. 10, recensentur. In aliis vero Missis lectis, a simplici sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae, ut ibidem cavetur, salva tamen concessione numeri sequentis huius Constitutionis.

XLV. Annulo gemmato semper uti possunt in omnibus sacris functionibus, Missa privata non exclusa.

XLVI. Privilegio gaudent Oratorii privati et altaris portatilis ad normam sacrorum Canonum. Omnes autem fideles qui ipsorum Missae assistant, praecepto de Missa audienda rite planeque satisfaciunt. Semper vero et ubique Calendario Romano uti possunt.

XLVII. Pro Consistoriis et Cappellis Pontificiis *intimationem* accipiunt a Praefecto caeremoniarum apostolicarum et praefatis functionibus omnes interesse tenentur. In hisce functionibus duo Protonotarii per vices fimbrias faldae Pontificis sustinent — in Cappellis autem ante et post sacram functionem — a quo tamen officio Decanus semper eximitur. In Cappellis Pontificiis eum locum tenent qui in *Libro Sacrorum Rituum S. R. E.* et in Bullis Pontificiis iis adscribitur.

XLVIII. Candelas, Palmas et *Agnus Dei* accipiunt non aliter ac Episcopi ad Solium Pontificium Assistentes. Ius insuper habent ad numismata argentea quae tradi solent cum fit novi Summi Pontificis coronatio et quotannis in festo Ss. Petri et Pauli.

XLIX. Ius habent gratuito accipiendi Litteras Apostolicas, etiam *sub plumbo* quae dicuntur, pro quolibet Beneficio quod sibi conferatur.

L. Tandem iure gaudent, salvo peculiari privilegio, praecedendi ecclesiasticis personis quibuslibet, quae sint inferiores Episcopis, etiam tantum electis et confirmatis, modo ne eae personae sint Ordinarii locorum (Can. I. C. 198) in proprio territorio, vel ne sint Praelati vulgo « di fiocchetti », aut Assessores vel Secretarii Sacrarum Congregationum Romanarum, aut Praelati de quibus num. XXI actum est.

LI. Quod spectat ad privilegia *emeritorum*, vigere pergit n. XXVIII.

LII. Cum Protonotarius de Collegio aliquis vita functus fuerit, sodales eius exsequiis interesse tenentur.

PROTONOTARII APOSTOLICI SUPRANUMERARII, AD INSTAR ET TITULARES.

LIII. Praeter Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium tres numerantur gradus Protonotariorum Apostolicorum, qui tamen Collegium nullo modo constituunt, et sunt qui sequuntur: Protonotarii *supranumerarii*, Protonotarii *ad instar* et Protonotarii *titulares seu honorarii*.

LIV. Protonotarii *supranumerarii* sunt ii qui canonicatu potiuntur in Basilicis Patriarchalibus Urbis, scilicet Lateranensi, Vaticana et Liberriana, modo Litteras Apostolicas in forma brevi Praelati Domestici acceperint et iusiurandum emiserint. Item Canonici quarundam aliarum Ecclesiarum extra Urbem. Priores tamen titulo praefato insigniti erunt *ad vitam*, posteriores vero *durante munere*.

Quod si posteriores nominati fuerint Praelati Domestici ob personae merita, dispositionibus subsint contentis in Apostolicis Litteris a Pio X motu proprio datis, *Inter multiplices*, nn. 14, 34, 41.

LV. Munera, iura, privilegiaque Protonotariorum *supranumerariorum* ea erunt quae descripta sunt in Apostolicis Litteris a Pio X motu proprio datis, *Inter multiplices*, sub numeris 13-41, 80.

LVI. Protonotarii *ad instar*, praeter eos qui numeris XX et XXVIII describuntur, ii erunt quos Summus Pontifex hac dignitate insigniverit, nec non qui Canonicatu in quibusdam determinatis Capitulis potiantur. Priores erunt Protonotarii *ad instar ad vitam*, posteriores vero *durante munere*.

Quod si posteriores nominati fuerint Praelati Domestici ut personae privatae, subiecti erunt dispositionibus contentis in Apostolicis Litteris a Pio X motu proprio datis, *Inter multiplices*, sub numeris 43, 50, 58.

LVII. Munera, iura, privilegiaque Protonotariorum *ad instar* ea sunt quae descripta sunt in Apostolicis Litteris a Pio X datis, *Inter multiplices*, nn. 42-58, 80.

LVIII. Protonotarii *titulares* seu *honorarii* ii erunt quos nominaverit ipse Summus Pontifex vel Collegium Protonotariorum iuxta n. XXXVIII. Sunt quoque Protonotarii *titulares* omnes Vicarii Generales et Vicarii Capitulares nec non Canonici quorundam Capitulorum. Recensiti omnes habentur Praelati extra Urbem, sed Familiae Pontificiae non sunt adscripti, neque vestibibus praelaticiis in Curia Romana (quavis huiusmodi concessione particulari penitus abrogata) uti possunt, nisi forte quis per Apostolicas Litteras in forma brevi Praelatus domesticus nominatus fuerit ad personam. Qui autem eiusmodi titulo intuitu personae insignitus fuerit, dispositionibus subiectus erit, quae in Apostolicis Litteris a Pio X motu proprio datis, *Inter multiplices*, n. 74, habentur.

LIX. Protonotariorum *honorariorum* munera, iura, privilegiaque describuntur in praefatis Litteris Apostolicis, sub numeris 59-76.

IV.

DE COLLEGIO PRAELATORUM AUDITORUM S. ROMANAE ROTAE.

LX. Collegium Praelatorum Auditorum Sacrae Romanae Rotae constat Praelatis quibusdam, qui Iudicum Apostolicae Sedis munere ordinario funguntur; gradu pari hi sunt et Decani titulum assumit qui sociis nominatione etc. praecedit, iuxta numerum IV. Eorum numerus augeri vel minui potest pro necessitate proque Summi Pontificis suprema voluntate.

LXI. Titulus Praelatorum Auditorum erit: R. P. D. Auditor S. R. Rotae (Italice: *Ill.mo e Rev.mo Monsignore N. N. Prelato Uditore della Sacra Romana Rota*). Decanus vero titulo *Excellentiae Reverendissimae* iam insignitur, aliisque facultatibus et privilegiis numero XXI descriptis.

1. — Nominatio et muneris occupatio.

LXII. Praelati Auditores nominantur per Litteras Apostolicas in forma brevi; Secretaria Status Summi Pontificis litteris praemonet de hac

nominatione cum eum cuius interest, tum Decanum Collegii Praelatorum Auditorum.

LXIII. Acceptis litteris e Secretaria Status Summi Pontificis, cooptandus in Praelatum Auditorem audientiam petit eiusdem Summi Pontificis, invisitque obsequii causa Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status nec non Decanum et Praelatos Collegii Auditorum.

LXIV. Post suam nominationem novus Praelatus Auditor, die a Decano statuenda, possessionem inquit sui officii coram universo Collegio Rotali ratione quae sequitur: a) indutus habitu ad normam n. IX, facit professionem fidei iuxta canonem I. C. 1406 et nuncupat iusiurandum iuxta propriam Rotae formulam, idque unus ex Notariis, de quibus est sermo in numero LXXXIV, scriptis refert; b) amplexum Collegarum accipit; c) in possessionem novissimi stalli in aula iudiciali immittitur.

LXV. Post captam possessionem muneris de qua supra, novus Praelatus Auditor invisit obsequii causa ceteros Eminentissimos Cardinales.

LXVI. Praelati Auditores officio cedunt cum illud renuntiant ipsi, vel ad munus eliguntur quod cum illo componi nequeat, vel 75^{um} aetatis annum ineunt.

2. — Munera.

LXVII. Munera Praelatorum Auditorum describuntur in canonibus I. C. 1598-1608 inque Lege Propria S. R. Rotae diei 29 Iunii 1908, cc. 1-34 (1).

LXVIII. Annus iuridicus inquitur: a) per celebrationem Missae de Spiritu Sancto in Palatio Apostolico, cui assistunt Praelati Auditores toga induti et biretum doctorale prae manibus habentes, Officiales S. R. Rotae, Advocatique Rotaes; b) finita Missa, post cantatum hymnum *Veni Creator Spiritus*, Decanus coram Crucifixo genuflexus, Auditoribus circumstantibus et praesente Notario formulam iurisiurandi legit ipse prior et postea singuli legunt Auditores; c) hisce peractis, Auditores soli admitti solent ad privatam audientiam Summi Pontificis, deinde, cum ceteris qui descriptae caeremoniae interfuerint ad publicam seu solemnem, in qua, R. P. solio assidente, Decanus sermonem habet anni iuridici prolusivum petitque benedictionem apostolicam super personas et futuram S. R. Rotae operam; d) tandem Summo Pontifici praesentat eos omnes qui huic Sacro Tribunali sunt addicti. Post haec Decanus cum Collegis aliisque qui ex officio huic caeremoniae interfuerunt, obsequii causa Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status invisit.

LXIX. Duo Praelati Auditores secunda vice promulgant Bullam latinam et italicam solemnem indictionis Anni Sancti. Tres antiquiores Auditores Sacrae Rituum Congregationi adscribuntur ipso facto tanquam Praelati Officiales.

(1) *Hodie dices*: inque Normis S. R. Rotae Tribunalis, d. 29 Iunii 1934, art. 12 ss. (supra, p. 451 ss.).

LXX. Assidente Conclavi, Rotam custodiunt Cardinalibus reservatam, emisso iuramento et habitu praelatico induti ad normam numerorum VII et IX.

3. — Privilegia.

LXXI. Statim a sua nominatione Auditores, ipso facto fiunt Praelati Domestici et Familiares Summi Pontificis et hanc dignitatem retinent quamdiu munere Auditorum funguntur vel cum *emeriti* declarantur. Eximuntur insuper a iurisdictione Ordinariorum locorum. Qui a munere cedunt nec declarantur *emeriti*, privilegiis fruuntur a Clemente XIV Constitutione *Cum primum* diei 16 Maii 1770 n. 6 concessis, quatenus tamen in praesenti Constitutione contineantur. Qui autem antequam Auditores nominarentur erant Protonotarii Apostolici *ad instar* vel *titulares*, hos titulos servant etiam post ipsorum nominationem ad munus Auditorum. Qui tandem antequam Auditores nominarentur dignitate gaudebant Protonotariorum de numero Participantium vel *supranumerariorum*, hanc dignitatem deponunt, salvis praescriptis in numeris XXVIII et LVI, et salvis privilegiis Excellentissimo Sacrae Romanae Rotae Decano numero XXI tributis.

LXXII. In functionibus forensibus togam super habitum pianum induunt, et biretum doctorale, ornatum torulo et flocculo rubini coloris, gestant. Extra functiones forenses vestibus utuntur iuxta numeros VII, VIII, IX et X.

LXXIII. Gaudent iure Pontificalium eodem modo atque de Protonotariis Apostolicis de numero Participantium dictum est supra n. XLIII.

LXXIV. Privilegium habent Oratorii privati et altaris portatilis ad normam sacrorum Canonum; omnes vero qui ipsorum Missae assistant, praecepto de Missa audienda rite planeque satisfaciunt. Semper vero et ubique Calendario Romano uti possunt.

LXXV. Cum sacrum faciunt sive privatim sive solemniter, habitu tamen praelatico induti, non tantum iis uti licet Palmatoria sed etiam Canone et Urceo, aliisque privilegiis quibus Protonotarii Apostolici de numero Participantium fruuntur.

LXXVI. *Intimationem* accipiunt pro functionibus caeremoniisque pontificiis ab ipso Praefecto caeremoniarum apostolicarum iisque omnes intersunt.

LXXVII. Auditores sunt Subdiaconi Apostolici. In Missa Pontificia pro coronatione Summi Pontificis inque ineunda ab Eodem possessione Basilicae Ss.mi Salvatoris in Laterano, tunicellam subdiaconalem induunt. Qui quartus venit e praesentibus iuxta praecedentiam numero IV statutam, Subdiaconum agit in omnibus pontificalibus Summi Pontificis; qui veniunt secundus et tertius faldam sustentant; novissimus fungitur semper munere Cruciferi; sedent vero omnes in ultimo throni gradu in Cappella papali. Decanus (vel is qui eius vices gerit) Mitram vel Tiaram fert Pontificis.

LXXVIII. In pontificali Summi Pontificis unus ex Auditoribus fert Summo Pontifici manutergium cum manus lavat, alius vero fert, quoties oportuerit, Summo Pontifici Sacrum Pallium; si vero ipse Summus Pontifex in Episcopum aliquem consecret, alicuius ex Auditoribus erit mapulas consecrando imponere.

LXXIX. Adstant quoque Auditores benedictioni Sacrorum Palliorum nec non impositioni et traditioni eorundem; item solemnibus benedictioni *Agnorum Dei* qui dicuntur, quique ipsis quoque distribuuntur. In festo praeterea Ss. Petri et Pauli singuli Praelati Auditores argenteum numisma unum accipiunt, praeter Decanum, cui duo numismata iure obtingunt. Eidem Decano quotannis conceduntur agni ex quorum lana Pallia Archiepiscoporum conficiuntur, ad normam Constitutionis *Rerum ecclesiasticarum*, diei 12 Augusti 1748, Benedicti XIV.

LXXX. Litterae omnes Apostolicae gratuito Auditoribus obveniunt. Facultatem habent eos retinendi legendique libros prohibitos qui de iure tractant, et permittendi ut huiusmodi libros legant qui eorum studia adjuvant.

LXXXI. Salvo peculiari privilegio, omnibus iis ecclesiasticis personis praecedunt, quae inferiores sint Protonotariis Apostolicis *de numero Participantium*.

LXXXII. Ex Auditoribus qui *emeriti* declarati fuerint, iisdem fruuntur privilegiis ac ordinarii Auditores, cum ea tantum limitatione quae numero V describitur.

LXXXIII. Funus pro Collegis vita functis fit in ecclesia parociae defuncti vel in alia quam ipse elegerit, Collegio ipso praesente et in expensas conferente. Si mors extra Urbem acciderit, funus celebrabitur in ecclesia S. Luciae « della Tinta », nisi Collegium aliam elegerit. Quotannis vero, mense Novembri in eadem ecclesia iusta funebria persolventur pro omnibus simul Auditoribus proque iis omnibus qui ad S. R. Rotam pertinerunt.

4. — *Officiales Collegii.*

LXXXIV. Officiales Rotaes iuxta praecedentiae ordinem sunt qui sequuntur: Promotor Iustitiae; Defensor vinculi; Notarii; Archivi Custos; Scriptores; Rationum ductor; Distributor. Promotor Iustitiae et Defensor vinculi proponuntur a Collegio et nominantur a Summo Pontifice: alii Officiales eliguntur, concursu adhibito, a Collegio, et a Summo Pontifice confirmantur.

LXXXV. Pertinent ad S. R. Rotam, ut advocati nativi, Advocati Consistoriales, itemque partes in ea habent Procuratores Sacrorum Palatiorum Apostolicorum. Utrique praecedendi ordinis normam sumunt a tempore nominationis.

V.

DE COLLEGIO CLERICORUM REVERENDAE CAMERAE APOSTOLICAE.

LXXXVI. Collegium Clericorum Reverendae Camerae Apostolicae constat octo Praelatis quorum antiquior, ad normam numeri IV, titulum assumit Decani. A Collegio, ad pluralitatem suffragiorum, nominatur Secretarius *extra Collegium*, idque in acta refertur.

LXXXVII. Titulus Clericorum R. C. A. est R. P. D. Clericus Reverendae Camerae Apostolicae (Italice: *Ill.mo e Re.vmo Monsignore N. N., Chierico della Reverenda Camera Apostolica*).

1. — *Nominatio et muneris occupatio.*

LXXXVIII. Clerici Rev. Camerae Apostolicae nominantur per Breve Apostolicum; Secretaria Status Summi Pontificis praemonet per litteras de hac nominatione cum eum cuius interest, tum Decanum Collegii R. C. A.

LXXXIX. Acceptis litteris a Secretaria Status, cooptandus in Clericum Camerae audientiam petit Summi Pontificis, invisitque Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status, Eminentissimum Cardinalem Camerarium S. R. E., Praelatos Camerales, Decanum et Clericos Camerae.

XC. Postquam acceperit Litteras Apostolicas in forma brevi, novus Clericus Camerae, die ac hora ab Eminentissimo Cardinali Camerario statutis, possessionem in sui muneris, adstante Collegio, in residentia ipsius Cardinalis, in aula throni.

XCI. Huic actui intersunt, praeter Decanum et Clericos R. C. A. indutos veste nn. VIII et X descripta, etiam Secretarius-Cancellarius Rev. Camerae Apostolicae, ut Notarium agat, nec non Secretarius Collegii. Praelati Camerales, scilicet Vice Camerarius, Auditor generalis, Thesaurarius generalis, si actui intersint, habitum induunt numero VIII descriptum.

XCII. Eminentissimus Cardinalis Camerarius, indutus mozeta supra rocchetto, Magistro Caeremoniarum apostolicarum ei adsistente, cumque suis nobilibus aulicis, sedet in throno, adstantque ad dexteram Clerici Camerae antiquitatis ordine dispositi iuxta n. IV, ad sinistram Praelati Camerales, dignitatis ordine subsequentes. Si haec caeremonia in aliquo Palatio Apostolico vel Camerali peragatur vel etiam in aliquo Conventu seu loco pio, Eminentissimus Cardinalis supra rocchetto etiam mantelletum adhibebit.

XCIII. Novensilis Clericus Camerae, habitu praelatico indutus, cum solo tamen mantelletto sine rocchetto, coram Eminentissimo Cardinali genuflexus: a) exhibet Litteras Apostolicas in forma brevi suae nominationis, quas legit Secretarius-Cancellarius R. C. A.; b) facit professionem fidei, iuxta canonem I. C. 1406, additque fidelitatis iusiurandum ex praescripta formula, Secretario-Cancellario tanquam Notario R. C. A. id in

scriptis referente, qui etiam fidem facit, in *Litteris Apostolicis*, de praestito iuramento et quae scripserit legit; c) deposito mantelletto, novus Praelatus accipit ab Eminentissimo Cardinali impositionem rocchetti, cappae et bireti hac formula: *Esto Clericus Reverendae Camerae Apostolicae*; d) admittitur demum ad amplexum Eminentissimi Cardinalis et Collegiarum.

XCIV. Installatio, quae dicitur, novi Clerici fit in aula quae ut Collegii sedes habetur, in qua Eminentissimus Cardinalis Camerarius, cum Collegio Clericorum R. C. A. et Praelatis Cameralibus eo ordine sedent qui n. XCII descriptus est. Novensilis vero Clericus post omnes suos Collegas sedet et subsignat scriptam testationem praestiti a se iuramenti. Quod quidem documentum subsignatur quoque ab Eminentissimo Cardinali Camerario et servatur in Archivo Camerali.

XCV. Postquam novus Clericus hac ratione possessionem muneris ceperit, invisit alios Eminentissimos Cardinales nec non altiores Praelatos Aulae Pontificiae et Curiae Romanae iuxta consuetudinem.

XCVI. Clerici Camerae officio cedunt cum illo se abdicant vel ad munus transferuntur quod cum eo componi nequeat.

2. — Munera.

XCVII. Ad normam Constitutionis *Vacante Sede Apostolica* Pii X diei 25 Decembris 1904 et canonis I. C. 262, Collegii Clericorum R. C. A. est iuvare Eminentissimum Cardinalem Camerarium in curandis et administrandis bonis et iuribus temporalibus Sanctae Sedis, praesertim tempore Sedis vacantis.

XCVIII. Clerici R. C. A., Praefecto Caeremoniarum apostolicarum *intimationem* faciente, intersunt recognitioni quam de Cadavere defuncti Summi Pontificis iuxta praescriptum ritum facit Eminentissimus Cardinalis Camerarius. Collegii Secretarius-Cancellarius, ut Notarius R. C. A., actum praefatae recognitionis rogat.

XCIX. Recognitione ut supra facta, Clerici R. C. A. convocantur ab ipso Eminentissimo Cardinali Camerario atque conveniunt apud eundem Cardinalem pro distributione officiorum singulis committendorum iuxta normas Collegii huius proprias.

C. Acta Sanctae Sedis, hac ipsa Sede vacante, aliquis e Clericis Camerae rogatus exarat, atque Notarius ipsius Camerae Apostolicae. Instrumentum vero seu scriptum testimonium fidem faciens de tumulatione defuncti Pontificis in Vaticana Basilica conficit legitque Notarius Capituli eiusdem Basilicae. Postea Clericus unus R. C. A. nec non delegatus aliquis a Magistro secreti Cubiculi defuncti Pontificis ac SS. Pal. Apostolicorum Praefecto separatim documenta conficiunt quae fidem faciant peractae tumulationis, primus coram Reverenda Camera Apostolica, alter coram Magisterio Cubiculi ac Praefectura Sacrorum Pal. Ap.

CI. Clerici omnes R. C. A. et Secretarius-Cancellarius eiusdem documento muniuntur Eminentissimi Cardinalis Camerarii ad modum tes-

serae ut liberum habeant aditum ad SS. PP. AA. aedesque ab his dependentes quandocumque sua munera implere in iisdem teneantur.

CII. Cardinalis Camerarius aliquem a Clericis R. C. A. nominat ut simul cum Secretario-Cancellario R. C. A. in aede eius qui Custos est Conclavis, actum rogatus exaret de externa eiusdem Conclavis clausura, adstantibus Marescallo et Commissario Generali Conclavis et Governatore Civitatis Vaticanae.

CIII. Clerici Camerae, postquam in Cappella Sixtina, ante clausuram Conclavis praescriptum iuramentum emisissent coram Cardinali Decano et Secretario Sacri Collegii, una cum aliis Collegiis Praelaticis, vigilantiam exercent circa Rotam Conclavis ipsis assignatam, habitu induti praelaticio iuxta numeros VIII et IX.

CIV. Post electionem novi Pontificis et datam iussionem aperiendi Conclave, Clerici Camerae cum Secretario-Cancellario eiusdem, et ipsi obsequium et obedientiam Electo exhibent. Eorum vero unus actum rogat de apositione Conclavis, adstantibus ceteris, idque coram Marescallo et Commissario Generali Conclavis et Governatore Civitatis Vaticanae.

3. — Privilegia.

CV. Clerici Camerae eo ipso sunt Praelati Domestici et Familiares Summi Pontificis, horumque propterea gaudent privilegiis.

CVI. Clerici Camerae habitu praelaticio utuntur, iuxta numeros VII, VIII, IX et X.

CVII. Cum sacrum faciunt sive privatim sive solemniter, habitu tamen praelaticio induti, non tantum iis uti licet Palmatoria, sed etiam Canone et Urceo.

CVIII. Privilegio gaudent Oratorii privati, et altaris portatilis. Fideles omnes qui ipsorum Missae assistant, praecepto de Missa audienda rite planeque satisfaciunt. Calendario romano semper et ubique uti possunt.

CIX. *Intimatio* pro functionibus pontificiis a Praefecto caeremoniarum apostolicarum fit eorum Decano qui de ea singulos Collegas monet. Tenentur vero omnes functionibus praefatis interesse.

CX. In functionibus pontificalibus Domini Nostri Papae, Decanus vel alius e Collegio Clericorum Camerae tradit gremiale. In benedictione *Rosae aureae* quae dicitur, Decanus vel alius e Clericis R. C. A. eam sustentat et custodit. Similiter in nocte Natalis Domini sustentat Ensem et magnum Pileum (*Stocco e Berrettone*) cum a Summo Pontifice his insignibus benedictio datur. Assistent vero sollemni benedictioni *Agnorum Dei* et intersunt quoque binae promulgationi universalis iubilaei.

CXI. In Cappellis Pontificiis eum tenent locum qui describitur in *Libro Sacrorum Rituum S. R. E.* atque in Bullis Pontificiis. Sedent vero in infimo gradu Solii.

CXII. Clerici Camerae ab Ordinariorum iurisdictione eximuntur, dum in Urbe domicilium habent, et Litteras quaslibet Apostolicas gratuito accipiunt.

CXIII. Numisma accipiunt quod distribui solet in festo Ss. Petri et Pauli.

CXIV. In sessionibus et congregationibus Reverendae Camerae Apostolicae Collegium Clericorum Camerae sedet ad dexteram Eminentissimi Cardinalis Camerarii, Praelati vero Camerales ad sinistram eiusdem.

CXV. Collegium Clericorum Rev. Camerae Apostolicae, quoad ius praecedentiae, sequitur Collegium Auditorum Sacrae Romanae Rotae, sed antea Collegium Votantium Signaturae Apostolicae.

CXVI. Si Clerici R. C. A. declarati fuerint *emeriti*, munera quidem aliorum Clericorum Camerae non praestant amplius, privilegiis vero eorundem frui perseverant, salvo praescripto numeri V.

CXVII. Cum quis Collega vita fuerit functus, iusta eidem funebria persolvuntur ab omnibus eius Collegis.

VI.

DE COLLEGIO PRAELATORUM VOTANTIUM SIGNATURAE APOSTOLICAE ET DE PRAELATIS REFERENDARIIS EIUSDEM.

DE COLLEGIO PRAELATORUM VOTANTIUM.

CXVIII. Praelati Votantes Signaturae Apostolicae constituunt verum propriumque Collegium: hoc autem constat novem sodalibus, e quibus septem sunt de numero, quorum antiquior, iuxta numerum V, titulo Decani honestatur: reliqui duo sunt supranumerarii; qui omnes, tam de numero quam supranumerarii, inter Praelatos Referendarios eligendi sunt, nullumque habent fixum emolumentum. Officiales vero huic Collegio non adiacentur.

CXIX. Titulus sodalium huius Collegii est: R. P. D. Votans Signaturae Apostolicae (Italice: *Ill.mo e Rev.mo Monsignore N. N. Prelato Votante della Segnatura Apostolica*).

1. — *Nominatio et muneris occupatio.*

CXX. Praelati Votantes Signaturae Apostolicae, nominantur a Summo Pontifice per Litteras Apostolicas in forma brevi; Secretaria Status eiusdem Summi Pontificis litteris praemonet de nominatione eum cuius interest, nec non Cardinalem Praefectum Signaturae, Exc.mum Secretarium huius Tribunalis et Decanum Collegii Praelatorum Votantium.

CXXI. Acceptis litteris e Secretaria Status Summi Pontificis, cooptandus inter Praelatos Votantes audientiam petit eiusdem Summi Pontificis, invisitque obsequii causa Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status, Cardinalem Praefectum Signaturae Apostolicae, Exc.mum Secretarium huius Tribunalis, Decanum et Praelatos Collegii cui adscitus est.

CXXII. Cum Litteras Apostolicas in forma brevi accepit, novus Praelatus Votans possessionem in sui muneris coram Collegio, in Oratorio Eminentissimi Praefecti, indutus habitu ad normam nn. VIII et X et ratione quae sequitur: a) Litteras Apostolicas nominationis exhibet quas, iussus ab Eminentissimo Cardinali Praefecto, legit Collega aliquis; b) Professionem fidei facit ad normam canonis I. C. 1406; c) addit iusiurandum fidelitatis ex speciali formula; d) accipit impositionem bireti praelatici ab Eminentissimo Cardinali Praefecto edicente: *Esto Praelatus Votans Signaturae Apostolicae*; e) admittitur ad amplexum Collegarum; f) Decanus vel alius ex Praelatis Votantibus in scriptis redigit quae acta sunt in hac muneris occupatione scriptoque subsignant Eminentissimus Cardinalis Praefectus et Collegium Votantium; g) formula iurisiurandi a novo Votante subsignata asservatur in Archivo Collegii; h) Eminentissimus Cardinalis Praefectus novensili Praelato Votanti documentum tradit de praestito iureiurando.

CXXIII. Post initam muneris possessionem iuxta superiorem numerum, novus Praelatus Votans invisit quoque alios Eminentissimos Cardinales.

CXXIV. Praelati Votantes Signaturae officio cedunt cum illi renuntiant vel cum ad munus dignitatemve eliguntur quae cum priore nequeat componi.

2. — *Munera.*

CXXV. Praelatorum Votantium est Consultores agere apud Sacrum Tribunal Signaturae Apostolicae Eminentissimosque Cardinales Iudices iuvare, iuxta Regulas ab hoc Sacro Tribunali servandas. Scilicet: a) causas quaslibet vel quaestiones examinant quae proponendae sunt in Congressibus Signaturae, de iis in scriptis referunt atque disceptationibus intersunt cum suffragio *consultivo*, cum in quaestionibus *iuris* tum in quaestionibus *facti*; b) disceptationem oralem inter partes contententes petere possunt, quae si ab Ex.mo Secretario Sacri Tribunalis concedatur, eidem interesse et partem in eadem habere possunt; c) munere funguntur Promotoris Iustitiae nec non, in causis matrimonialibus, Defensoris Vinculi; d) suffragium, rogati, ferre debent *pro veritate* in causis ad Plenariam Signaturam delatis, quo in casu invitantur ad adsistendum huiusmodi causis, ut de suo suffragio dent explicationem, si forte de eo interrogentur; e) cum rescriptum prodierit ut exaretur decisio, alicui ex Votantibus munus incumbit eam in scriptis referendi et subsignandi; f) cum Summus Pontifex iusserit, processiculum conficiunt in electione novorum Referendariorum qui a Votantibus iuvantur in suo munere addiscendo.

CXXVI. Conclavis tempore ad Rotam sibi assignatam, emisso iuramento, servitium et operam praestant, habitu praelatico induti iuxta nn. VII et IX.

3. — *Privilegia.*

CXXVII. Praelati Votantes Signaturae Apostolicae, qui sunt Praelati Domestici et Familiars Summi Pontificis, haec privilegia sibi propria habent quae sequuntur: a) eximuntur ab iurisdictione Ordinariorum, modo et quousque suum domicilium habeant in Urbe et eximuntur a taxis solvendis pro Litteris Apostolicis quae in eorum favorem expediuntur; b) In Cappellis Papalibus cumque sacras functiones ipse Summus Pontifex agit, munere Acolythorum funguntur, idque etiam in aula Paramentorum; c) vestes praelaticas adhibent iuxta nn. VII, VIII, IX, X; d) gaudent privilegio altaris portatilis et Oratorii privati; quicumque vero ipsorum Missae assistant praecepto de Missa audienda rite planeque satisfaciunt; e) Calendario romano semper et ubique uti possunt.

CXXVIII. *Intimationem* accipiunt ab ipso Praefecto Caeremoniarum Pontificis pro Consistoriis et Cappellis Papalibus, quibus omnes interesse debent et eum locum tenent qui describitur in *Libro Sacrorum Rituum S. R. E.* atque in Bullis Pontificiis, scilicet, post Clericos Camerae. Decani Praelatorum Votantium est Referendariis *intimationem* facere pro hastis baldachini ferendis sub quo Summus Pontifex incedit.

CXXIX. Numisma accipiunt quod distribui solet in festo Ss. Petri et Pauli.

CXXX. Ex Praelatis Votantibus qui *emeriti* declarati fuerint, iisdem fruuntur privilegiis ac Votantes ordinarii, cum ea tantum limitatione quae numero V describitur.

CXXXI. Exc.mus Secretarius Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae gaudet facultatibus et privilegiis numero XXI descriptis. Idem vero Secretarius titulo *Excellentiae Reverendissimae* iam insignitur.

CXXXII. Cum quis Collega vita functus fuerit, Collegae ceteri eius exsequiis intersunt.

DE PRAELATIS REFERENDARIIS SIGNATURAE APOSTOLICAE.

CXXXIII. Praelati Referendarii verum et proprium Collegium non constituunt; hi tanquam consultores et numero indeterminato operam suam praestant in Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae, iuxta proprias normas.

CXXXIV. Decanus Praelatorum Votantium accipit et defert Praelatis Referendariis iussiones circa functiones papales vel alios quosdam actus.

CXXXV. Titulus Praelatorum Referendariorum est: R. P. D. Referendarius Signaturae Apostolicae (Italice: *Ill.mo e Rev.mo Monsignore, Monsignor N. N., Prelato Referendario della Segnatura Apostolica*).

1. — *Nominatio et muneris occupatio.*

CXXXVI. Salva dispositione numeri XXXIV huius Constitutionis de Protonotariis Apostolicis de numero Participantium qui sint Doctores in utroque iure, alii Praelati Referendarii Signaturae Apostolicae nominantur per Litteras Apostolicas in forma brevi, quae nominatio, litteris Secretariae Status Summi Pontificis, statim nuntiatur ei cuius interest, Eminentissimo Cardinali Praefecto et Exc.mo Secretario Supremi Tribunalis nec non Decano Praelatorum Votantium.

CXXXVII. Acceptis litteris Secretariae Status, cooptandus inter Praelatos Referendarios audientiam petit Summi Pontificis, invisitque Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status, nec non Eminentissimum Cardinalem Praefectum Sacri Tribunalis, Exc.mum Secretarium Signaturae Apostolicae, Decanum et alios Praelatos Votantes.

CXXXVIII. Habitis Litteris Apostolicis, novus Praelatus Referendarius possessionem accipit ab Eminentissimo Cardinali Praefecto Signaturae Apostolicae, in huius Oratorio, coram Exc.mo Secretario eiusdem Signaturae Apostolicae, Decano et Praelatis Votantibus, indutus rocchetto et mantelletto, ratione quae sequitur: a) Apostolicas Litteras nominationis exhibet quas, Praelatus aliquis ex Votantibus, iussus ab Eminentissimo Cardinali Praefecto, legit; b) professionem fidei facit ad normam canonis I. C. 1406; c) addit iusiurandum fidelitatis secundum praescriptam formulam; d) accipit impositionem bireti praelaticii ab Eminentissimo Cardinali Praefecto edicente: *Esto Praelatus Referendarius Signaturae Apostolicae*; e) admittitur ad amplexum Praelatorum adstantium; f) Decanus vel alius ex Praelatis Votantibus in acta refert muneris occupationem, scriptoque subscribit Eminentissimus Cardinalis Praefectus cum Praelatis adstantibus; g) formula iurisiurandi a novo Referendario subsignata asservatur in Archivo Signaturae Apostolicae.

CXXXIX. Post initam muneris possessionem iuxta superiorem numerum, novus Praelatus Referendarius invisit quoque ceteros Eminentissimos Cardinales.

CXL. Munus Referendariorum inter dignitates ecclesiasticas computatur et perseverare simul potest cum alia quavis dignitate ecclesiastica, Cardinalatu excepto.

2. — *Munera.*

CXLI. Munera Praelatorum Referendariorum describuntur in *Appendice ad Regulas servandas in iudiciis apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal.*

Ad eos spectat praesertim: a) referre de petitionibus quae fiunt ad obtinendam causae commissionem apud Sacram Rotam in prima instantia vel de aliis petitionibus quas Summus Pontifex Signaturae Apostolicae examinandas commiserit; b) cum Referendarius aliquis ab Exc.mo Secre-

tario Sacri Tribunalis huiusmodi munus susceperit, interesse debet Congressui secum ferens relationem de qua supra, scripto exaratam. In discussione vero partem habere potest et ius habet suffragii consultivi circa quaestiones dumtaxat quae respiciant *factum* de quo retulit; c) in qualibet ex causis quae proponi debeant Plenariae Signaturae, Praelatus aliquis Referendarius, quem Exc. mus Secretarius Sacri Tribunalis elegerit, referre debet *ex officio* de causa ipsa, iuxta regulas, et idem ad congressum admittitur ut respondere possit, si interrogatus fuerit, circa suam relationem.

3. — *Privilegia.*

CXLII. Referendarii dignitas secum fert dignitates et privilegia Praelati Domestici et Familiaris Summi Pontificis.

CXLIII. Habitum gestant Praelati Domestici, iuxta nn. VII et IX.

CXLIV. Eximuntur ab Ordinariorum iurisdictione cum domicilium habent in Urbe, nec non a taxis solvendis pro litteris apostolicis quae, post acceptam Referendarii nominationem, in eorum favorem expediuntur.

CXLV. Gaudent privilegio Oratorii privati et altaris portatilis; fideles autem omnes qui ipsorum Missae assistant, praecepto de Missa audienda rite planeque satisfaciunt. Uti possunt semper et ubique Calendario Romano.

CXLVI. In functionibus papalibus hastas ferunt baldachini sub quo Summus Pontifex incedit.

Haec quidem constituimus, edicimus, decernentes praesentes hasce Litteras Nostras, firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenos et integros effectus sortiri atque obtinere, et illis ad quos spectant aut pro tempore quolibet spectabunt, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque tenendum esse ac iudicandum, atque irritum fore et inane si secus super his a quolibet attentari contigerit. Non obstantibus, quatenus opus sit can. 4, 10, 70 ss., 102 § 2 Codicis I. C., privilegiis hucusque qualibet forma et quovis modo Collegiis concessis, quae, si et quatenus hac Constitutione non continentur, ut a limine diximus, plene revocamus, aliisque constitutionibus et ordinationibus et rescriptis Apostolicis, viva quoque voce datis aut propria manu signatis, vel qualibet firmitate alia roboratis et clausula quacumque vallatis, statutis, consuetudinibusque, ceterisque contrariis quibuscumque, etiam specialissima et individua mentione dignis, iis non exceptis, quibus forsitan cavetur ne data privilegia ulla derogatoria clausula cessent.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo quarto, die quintadecima mensis Augusti, in festo Assumptionis B. M. V., Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Fr. THOMAS PIUS O. P. Card. BOGGIANI

Cancellarius S. R. E.

IANUARIUS Card. GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE

S. C. Caeremonialis Praefectus.

Joseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicus.*

Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Can. Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die vigesima octava mensis Augusti,

anno tertiodecimo

Alfridus Marini, *Plumbator.*

Aloisius Trussardi *scripsit.*

Reg. in Canc. Apost., vol. LI, N. 13. - A. Trussardi, a tabulario.

INDICES

I.

INDEX ALPHABETICUS

*Numeri indicant textus numeros marginales; littera A praemissa
numeri indicat Appendicem*

A

- Abacus** - de eius materia 401.
— semper in cornu Epistolae collocandus,
ibi.
- Abbates** - nullius - quinam 113.
— eorum benedictio 114.
— obligationes liturgicae 116.
— privilegia et iura liturgica 115.
— regulares de regimine - quinam 145.
— eorum benedictio 146.
— privilegia et iura liturgica 147.
- Abbatiales (Ecclesiae)** - quatenam 311, IV.
- Abbatissae** - benedictio 234.
- Acatolici** - benedicti possunt 226.
— in eis exorcismi fieri possunt 228.
- Actiones scaenicae** etsi honestae et piae,
prohibitae sunt in Ecclesiis 457.
- Administratores apostolici** - quinam 105.
— obligationes liturgicae 106.
— privilegia et iura liturgica 106, 107.
- Aediculae in Coemeterio** 361, II.
— erectio 366.
— Missae de Requiem quando in eis pro-
hibentur 367.
- Alba** - materia et ornatus 512, X.
- Altare** - quid 368.
— quotuplex 369, 370.
- Beatis dedicari nequit sine apostolico
indulto 375.
— cadaver nullum subter illud reconden-
dum 366.
— consecratio 372, 374.
— execratio 373.
— materia 371, I.
— reverentia versus illud adhibenda 377.
— sepulcrum 371, III.
— structura 371, II.
— titulus 375.
— maius - quid 370, I.
— baldachinum super illud appenden-
dum 397.
— candelabra 390.
— Crux 389.
— Eucharistia regulariter in eo custo-
dienda 386.
— Imago praecipua 396.
— Lampades 395.
— ornatus 385.
— pallium 393.
— tabellae secretarum 391.
— tapete 394.
— tobaleae 387.
— vascula florum 392.
— papale 370, III.
— portatile - privilegium 273.
— privilegiatum 370, II.

- [**Altare**]
 — SS. Sacramenti 403.
Altaria minora — Imago 413.
 — ornatus 412.
Amictus — Crux in medio requiritur 512, X.
 — materia, *ibi*.
Anniversarium — dedicationis Ecclesiae quotannis celebrandum est 325.
Annus — canonicus 45, IV.
 — civilis 45, II.
 — liturgicus 45, III.
 — naturalis 45, I.
Annulus-gemmatus — Protonotarii Apostolici de numero Participantium semper iure uti possunt 139, 3.
 — cum unica gemma — Protonotarii Apostolici Supranumerarii et ad instar uti possunt, sed non in solemnibus absque pontificali ritu 140, 2; 141, I, 3.
Apostatae notorii — sepultura ecclesiastica privantur 432, 1.
Aqua baptismalis 161.
 — benedictio 162.
Archiconfraternitates — praecedentia 152, XXVII.
Archidiaconus — ei competit ius praesentandi ad Ordinationem 209.
Archivum — in omnibus Ecclesiis habendum 417.
 — quae in eo servanda 418.
Archiepiscopus — *vide* Metropolita.
Assessores Sacrar. Congr. Roman. — A, XI - XVI.
 — facultates et privilegia XVII-XXI.
Assistentia — honor assistentiae formalis debetur soli Celebranti vel Praesidenti 97.
Associationes plae — praecedentia 152, XXVII.
Auditores S. Romanae Rotae — A, LX - LXVI.
 — munera, *ibi* LXVII - LXX.
 — privilegia, *ibi* LXXI - LXXXIII.
Auxiliares Episcopi — *vide* Episcopi Auxiliares.
- B**
- Baculus pastoralis** — materia et forma 95.
 — quomodo defertur *ibi*.
 — ubi et quando Episcopus eo utitur 96.
Baldachinum — super Altare maius appendendum 397.
 — pro SS. Sacramenti processione 512, XXV.
 — pro Reliquiis Instrumentorum Dominicae Passionis 512, XXIX.
 — pro Reliquiis Sanctorum prohibetur 488.
Baptismus — locus 159, 160.
 — privatus 158, 165.
 — solemnus 158.
 — — aqua praescripta 161.
 — — administrari potest de Ordinarii licentia in Oratorio privato 364, II.
 — — Minister extraordinarius 163.
 — — Adulterum 168.
Baptisterium — forma, locus, materia 170, 171.
 — debita mundities in eo servanda 174.
Basilicae — quatenam et quotuplex 311, I.
 — privilegia, *ibidem*.
Beati — Altare dedicari nequit sine apostolico indulto 375.
 — Reliquiae eorum sine peculiari indulto ne circumferantur, neve exponantur, nisi in Ecclesiis ubi eorumdem Officia et Missa celebrentur 489.
Benedictio — quatenam, quotuplex 222.
 — Abbatis 233.
 — — *nullius* 112.
 — — regularis de regimine 146.
 — Abbatissae 234.
 — A catholicis dari potest 226.
 — Apostolica in articulo mortis 232.
 — Catechumenis dari potest 226.
 — et consecratio Oleorum 156.
 — et consecratio Virginum 235.
 — constitutiva 222.
 — Ecclesiae 319.
 — episcopalis 224.
 — eucharistica 466.
 — Fontis baptismalis 162.
 — Imaginum Sacrarum 479.
 — invocativa 222.
 — loci sacri 307.
 — nuptialis 214.
 — — extra Missam 215.
 — — de Ordinarii licentia impertiri potest in Oratorio privato 364, IV.
 — Oratorii — publici 352, I, II.
 — — semi-publici 358.
 — papalis 77, 13; 115, III, 2; 224.
 — paramentorum 512, IX.
 — reservata 223.
 — sacrae supellectilis 509.
Benedictiones — earum Minister 223; 224.
Biretum — S. R. E. Cardinalium — color et materia 59.
 — Episcoporum — color et materia 84.
Breviarium Romanum — brevis historia 12.

- C**
- Cadaver** — quomodo hoc verbum accipiendum in C. I. C. 1205, § 2; 420, II.
Cadavera — fidelium — in Coemeterio benedicto sepelienda 420.
 — quae in Ecclesiis sepeliri possunt 420.
 — nec subtus Altare recondenda 366.
 — infantium non baptizatorum 432.
 — parvulorum — speciales sepulturas habeant 430.
Caeremoniale Episcoporum — brevis historia 20.
Caeremonialis (Congregatio) — eius competentia circa ea quae S. Liturgiam respiciunt 32.
Calendarium — loci seu Dioeceseos — in Oratorio semi-publico adhibendum est 360.
 — proprium — Cardinales et etiam Episcopi omnes, ubique sequi possunt 53, I, 5; 76, I, 5.
 — — in Oratorio privato sequi debet Sacerdos sive regularis sive saecularis 363.
Calix — materia 512, I.
Campanae — auctoritati ecclesiasticae unice subsunt 339.
 — benedictio et consecratio 342.
 — normae circa earum sonum 340.
 — ad usus mere profanos adhiberi nequeunt 341.
 — non licet eas pulsare in Sabbato Sancto priusquam in Cathedrali seu Matrice pulsentur 340, IV.
Campanula — pulsanda in Missa 512, XX.
 — — eius loco adhiberi nequit Cymbalum dictum Indorum Orientalium, *ibi*.
Candelabra — Altaris maioris 390.
 — Altarium minorum 412.
Candelabrum septimum — in Missa pontificali quando celebrat Episcopus Ordinarius 390.
Candelae — earum venditio in Ecclesiis 446.
Canonici — iura et privilegia liturgica 133.
 — obligationes liturgicae 134, X.
 — praecedentia 152, XV.
 — privilegiis et iuribus Protonotariorum Apostolicorum supran. fruuntur 140, 6, 7.
 — quando excusantur a Chori servitio 249-253.
 — Coadiutores — iura liturgica 136.
 — — praecedentia 152, XVI.
 — ad Episcopatum promoti — iura et privilegia liturgica quoad Chorum 76, I, post n. 14.
 — — tenentur associare Episcopum Ordinarium accedentem ad Cathedrali vel ab ea recedentem cappa indutum 134, 3.
 — mitra pretiosa uti nequeunt assistentes in Choro Officiis pontificalibus 93.
 — ad honorem 135.
 — — praecedentia 152, XV.
Canonici Regulares — praecedentia 153.
Cantores — de eorum munere 298.
 — de eorum scholis 304, I, II, III, VI.
Cantus gregorius — quatenam typicae editiones vaticanae 22.
 — mulierum exclusivus — praesertim ubi officiatu choralis habetur non admittatur 299.
 — polyphonicus seu figuratus 295.
 — sacer 294.
 — — textus liturgicus 296.
 — — in usum populi restituendus 304 IX, X.
Capitulum — quid 128.
 — quibus constet 130.
 — cathedrale 129.
 — — iura et privilegia liturgica 131, I.
 — — obligationes liturgicae 132.
 — — praecedentia 153, XIII.
 — collegiale 129.
 — — iura et privilegia liturgica 131, II.
 — — obligationes liturgicae 132.
 — — praecedentia 152, XIV.
Cappa — S. R. E. Cardinalium — color et materia 56.
 — — usus 65.
 — Episcoporum — color 81, I.
 — — usus 88.
Capsula ad Hostiam in Ostensorio exponendam 512, V.
Cardinales — biretum: color et materia 59.
 — cappa: color et materia 56.
 — — usus 56.
 — ex Congregationibus Clericorum regularium, quoad habitum 67.
 — creatio et publicatio 48.
 — Crux pectoralis 58.
 — Diaconiae 50, 3, *in nota*.
 — in Functionibus sacris normae servandae pro eorum decore 68.
 — galerus triplex est 60.
 — habitus — pianus 57.
 — — de eius usu 66.
 — — praelatitius 56.
 — — quando rubeo et quando violaceo uti debent 63.
 — de mantelleti usu 64.
 — de mozzettae usu, *ibi*.
 — de eorum munere 47.
 — obligationes liturgicae 54.
 — officia in S. Collegio 51.
 — — Camerarius 51, 2.

- [**Cardinales**]
 — — Capita Ordinum 51, 3.
 — — Decanus 51, 1.
 — optio 52.
 — in ordines tres distribuuntur 50.
 — ex Ordinibus regularibus quoad habitum 67.
 — Oratoria 361.
 — in pectore 48.
 — pileolus: color et materia 59.
 — praecedentia 152, 1.
 — privilegia et iura liturgica 53.
 — — propria - Ordinis Diaconalis 53, III.
 — — — Ordinis Presbyteralis 53, II.
 — Sedes Suburbicariae 50, 1, *in nota*.
 — spoliolum 54.
 — Tituli presbyterales 50, 2, *in nota*.
Cardinalis - Camerarius 51, 2.
 — Decanus - eius privilegium 51, 1.
 — Proto - diaconus - eius privilegia 53, V.
Catechumeni - benedici possunt 226.
 — in eos exorcismi fieri possunt 228.
 — sepultura 434.
Catervae symphoniacorum - in templo psallere eis prohibetur 302.
 — in pompis externis extra templum permitti possunt, *ibi*.
Cathedrales - quanam 311, II.
Causae excusantes a Chori servitio - Capitulares 249-253.
 — Religiosi 254.
Celebrans - honor formalis assistentiae ei tantum debetur 97.
Cerei ficti - tolerantur 382.
Chocleare ad aquam Baptismi fundendam - materia 173, 3.
Chorus - quid et quomodo extruendus 402.
 — causae excusantes ab eius servitio - Capitulares 249-253.
 — — Religiosi 254.
 — de eius Praefecto 255-257.
Chrysmale - quid 387.
Cinematographicae repraesentationes etsi honestae et piaae - prohibitaae sunt in Ecclesiis 457.
Cinematographici apparatus - vetantur tempore Functionum 453.
Cingulum - materia 512, XI.
Claves Tabernaculi 405.
Clementina constitutio - eius notio 21.
Clerici Regulares - praecedentia 153.
Clerici Rev. Camerae Apostol. - A, LXXXVI - XCVI.
 — munera XCVII - CIV.
 — privilegia CV - CXVII.
Clerus saecularis - praecedentia 152, XXIV.
- Coadiutores** - Canonici - *vide* Canonici.
 — Episcopi - *vide* Episcopi.
Codex Iuris Canonici - consuetudines liturgicae in eo reprobatae 39.
Coemeterium - quid 420.
 — benedictio 435.
 — custodes 424.
 — quid quoad epitaphia, laudationes 425.
 — ius Ecclesiae 422.
 — reconciliatio 438.
 — — Minister 439.
 — violatio 437.
Collegialiter incedere - quid 152, XXVII, A.
Collegiatae - quanam 311, V.
Communio - Eucharistica - administranda magna cum cura, *post* 179.
 — — diebus omnibus excepta Feria VI in Parasceve 181.
 — — quibus horis 182.
 — — infirmis non ieiunis qui a mense decumbunt 186.
 — — Minister extraordinarius 180.
 — — deferenda privatim infirmis tantum ob iustam et rationabilem causam 189.
Concathedrales - quanam 311, III.
Concillii (Congregatio) - eius competentia circa ea quae S. Liturgiam respiciunt 38.
Concilium provinciale - in singulis Provinciis celebrandum vigesimo saltem quoque anno 80, 2.
 — locum celebrationis, *ibi*.
Confirmatio (Sacramentum) - locus 178.
 — materia 175.
 — Minister - extraordinarius 176.
 — — ordinarius, *ibi*.
 — — de obligatione Ministri eam conferendi 179.
 — — quisnam licite confirmet in suo territorio 177.
Confraternitas SS. Sacramenti - praecedentia 152, XXVII.
Confraternitates - praecedentia 152, XXVII.
Congregationes ecclesiasticae - praecedentia 153.
Conopeum - de eius materia et colore 409.
Consecratio - Altaris 372; 374.
 — campanae 342.
 — Ecclesiae - Altare simul consecrandum 321.
 — — amissio 343.
 — — Anniversarium celebrandum 325.
 — — ieiunium praemittendum 320.
 — — Minister 306.
 — — Officium quando inchoandum 324.
 — — quanam sint consecrandae 319.
 — — quandonam peragi possit 320.

- [**Consecratio**]
 — — quomodo probatur 309.
 — — Episcopalis - quando conferri debet 210.
 — — reservatur Romano Pontifici 210.
 — — tempus recipienda 73.
 — — Loci - ad quem pertinet 306.
 — — quomodo probatur 308.
 — — Virginum 235.
Consecrationes - earum Minister 224.
Consuetudines - respicientes S. Liturgiam in Codice I. C. reprobatae 39.
Consuetudo in iure liturgico 37.
Conventuales (Ecclesiae) 311, VIII.
Conventuales (Fratres Minores) praecedentia 152, XXV, D.
Conventualis (Missa) - *vide* Missa conventualis.
Conventus Eucharistici - Indulgentiae, privilegia, indulta concessa iis qui eis intersint vel operam navent 467-470.
Coronidae lignae super tobaleas Altaris adhiberi nequeunt 388.
Corporale - eius materia 512, VIII.
Crematio - eam iubens ecclesiastica sepultura privatur 432.
Crux - Altaris 389.
 — in medio Amictus requiritur 512, X.
 — in medio Coemeterio emineat vel adsit, si possibile ad caput tumuli cuiusque defuncti 426.
 — in summitate Ostensorii visibilis sit 512, IV.
 — pectoralis 58; 90.
 — — Protonotarii Apost. - de numero Particip. - ea uti possunt cum unica gemma quando accedunt ad Ecclesiam pro Functionibus pontificalibus; alias ab ea abstinebunt 139, 1.
 — — — Supranumerarii et « ad instar » ea uti possunt sine gemmis quando accedunt ad Ecclesiam pro Functionibus pontificalibus; alias ab ea abstinebunt 140, 1.
- D**
- Decanus** - Cardinalis 51, 1.
Decreta S. Rituum Congregationis - Collectio authentica 35.
 — divisio 33.
 — formulae in eis adhibitae 36.
 — obligatio 33.
 — publicatio 34.
Dedicatio Ecclesiae - *vide* Consecratio.
Defuncti - *vide* Cadavera; Sepultura Ecclesiastica.
- Diaconae** 50, 3, *in nota*.
Diaconus - quas benedictiones impertiri potest 224.
 — Minister - expositionis et repositionis SS. Sacramenti 463.
 — — extraordinarius - Baptismi solemniter 163.
 — — — Communionis 180.
Dies - quomodo liturgice computantur 45, III.
 — Festi - quinam in universa Ecclesia 442.
 — — quis eos pro universa Ecclesia constituat 440.
 — — quas obligationes secumferunt 444.
 — — Ordinarii locorum quid circa eos possunt 440.
Dignitates - iura et privilegia liturgica 133.
 — obligationes liturgicae 134.
Duellum - mortui in duello vel ex vulnere inde relato privantur ecclesiastica sepultura 432.
- E**
- Ecclesiae** - quid 310.
 — aedificatio 312.
 — — normae pro aedificatione 313-317.
 — anniversarium consecrationis 325.
 — consecratio - *vide* Consecratio.
 — execratio 343.
 — Functiones quae in eis perfici possunt 331-333.
 — — tempore interdicti 334-337.
 — locus - pro Fidelibus 450.
 — — pro Magistratibus 449.
 — — pro Patronis, *ibi*.
 — nomina quibus distinguuntur 311.
 — ornatus 378-383.
 — ad profanum usum conversio 344.
 — reconciliatio 347.
 — scaenicae actiones, repraesentationes cinematographicae et projectiones etsi honestae et piaae in eis prohibentur 457.
 — Titulus 326-329.
 — — eius festum 330.
 — violatio 343.
 — quibus modis violari possunt 345.
Episcopi - quinam 69.
 — biretum; color et materia 84.
 — consecratio - *vide* Consecratio episcopalis.
 — cappa - color 81, 1.
 — — eius usus 88.
 — Crux pectoralis 90.
 — galerus, duplex 85.
 — habitus - planus 81, II.
 — — — de eius usu 89.

- [**Episcopi - habitus**]
 — — praelatitius 81, 1.
 — — — de eius usu 86.
 — iura et privilegia liturgica — a notitia canonica provisionis 76, 1.
 — — a consecratione accepta 76, II.
 — de mantelleti usu 87.
 — de mozzetae usu, *ibi*.
 — nomina quibus distinguuntur 69.
 — Oratoria 361, 1.
 — pileolum, color et materia 84.
 — praecedentia 152, III.
 — spoliolum 78, 7.
Episcopi Auxiliares — quinam 69, IV, b.
 — Thronum eis cedere potest Coadiutus, in suo territorio, non vero in Ecclesia cathedrali 104.
Episcopi Canonici tenentur associare Episcopum Ordinarium accedentem ad Cathedralium vel ab ea recedentem cappam indutum 134, 3.
 — iura et privilegia liturgica quoad Chorum 76, I post 14.
 — mitra pretiosa uti nequeunt assistentes in Choro Officiis pontificalibus 93.
 — Thronum eis cedere potest Ordinarius in suo territorio, non vero in Ecclesia cathedrali 104.
Episcopi Coadiutores — quinam 69, IV, a.
 — Thronum eis cedere potest Coadiutus in suo territorio, non vero in Ecclesia cathedrali 104.
Episcopi electi — quinam 69, 1, a.
 — iura et privilegia liturgica 76, 1.
 — obligationes liturgicae 72; 73.
Episcopi Religiosi — quoad habitum praelatitium 82.
Episcopi residentiales — quinam 69, II, a.
 — iura et privilegia liturgica a capta Dioecesis possessione 77.
 — obligationes liturgicae 78.
Episcopi Suffraganei — quinam 69, III, b.
Episcopi Titulares — quinam 69, III, b.
 — circa Missam pro populo 117, VII.
Epitaphia — *vide* Coemeterium.
Eucharistia — quibus in Ecclesiis custodiri debet vel potest 458; 459.
 — custodienda in praecellentissimo ac nobilissimo Ecclesiae loco 403.
 — — regulariter in Altari maiore 386.
 — an ubi asservatur, pluribus in locis eam asservare liceat 461.
Eucharistici Conventus — *vide* Conventus Eucharistici.
Excommunicati sepultura ecclesiastica privantur 432.

- Exercitus insignia** si benedicta admitti possunt tum in associatione cadaverum tum in ecclesia; si non benedicta, tolerari 455.
Execratio — Altaris 373.
 — Ecclesiae 343.
Exorcismi — qui legitime in obsessos proferre potest 228.
 — in quos fieri possunt, *ibi*.
Expositio SS. Sacramenti — privata — definitio 464.
 — — quibus in Ecclesiis fieri possit 463.
 — — notanda 465.
 — publica — definitio 464.
 — — quibus in Ecclesiis fieri possit 463.
 — Minister 463.
Extrema Unctio — administratio an iterari possit et quando 195.
 — an et quando sub conditione administranda vel non, *ibi*.
 — oleum — in administratione adhibendum 196.
 — — de eius custodia 197.
 — de unctionibus faciendis 198.

F

- Falditorium** — quid et quomodo ornandum 399.
Familiares Romani Pontificis — praecedentia 152, X.
Festa — *vide* Dies Festi.
Flores — quando prohibentur inter Altaris candelabra 392.
Fons Baptismalis — in quibus Ecclesiis adesse debet 159.
 — benedictio 162.
 — quomodo conficiendus 170.
Formulae in Decretis S. R. Congregationis adhibitis 36.
Fratres minores — praecedentia 152, XXV, D.
Functiones sacrae — quae perfici possunt — in quolibet Ecclesia 331.
 — — in Oratorio — privato 364.
 — — — publico 352, III.
 — — — semi-publico 357.
 — tempore interdicti 334.
 — S. R. E. Cardinalium; normae servandae 68.
 — Parocho reservatae 332.
 — Tabula dierum quibus Episcopi residentiales tenentur accedere ad Cathedralium pro s. Functionibus 118.

G

- Galerus** — S. R. E. Cardinalium triplex est 60.
 — Episcoporum, duplex 85.
Gramophono — non licet uti pro cantu stricte liturgico gregoriano 303.

H

- Habitus** — pianus — S. R. E. Cardinalium 57.
 — — Episcoporum 81, II.
 — — — de eius usu 89.
 — — Protonotariorum Apost. — de numero Participantium 139, 2.
 — — — Supranumerariorum 140, 1.
 — — — « ad instar » 141, 1, 2.
 — praelatitius — S. R. E. Cardinalium 56.
 — — — quando uti eo debent rubeo et quando violaceo 63.
 — — Episcoporum 81, 1.
 — — — de eius usu 86.
 — — — Religiosorum 82.
 — — Protonotariorum Apost. — De numero Participantium 139, 1.
 — — — Supranumerariorum 140, 1.
 — — — « ad instar » 141, 1, 2.
 — — — Titulariorum seu Honorariorum 142, 1, 2.
 — Praelatorum Romanae Curiae A, VII-X.
Hereticae sectae addicti ecclesiastica sepultura privantur 432.
Horae minores — tempus recitationis choralis 242.
Hostiae — de earum confectione normae 266.
 — de earum custodia 267.
 — consecratae — de earum renovatione 266.

I

- Ieiunium** — eius obligatio in consecratione Ecclesiae 320.
 — in consecratione episcopali 211.
 — eucharisticum quoad infirmos 186.
Imagines sacrae — earum benedictio Ordinatio reservatur 479.
 — munda et nitidae semper sint 477.
 — novae et insolitae non exponantur sine Ordinarii loci approbatione 476.
 — pretiosae 477.
 — quae prohibita ab ipso iure 482.
 — super Tabernaculum non licet eas collocare 408.
Imagines virorum etsi in ecclesiastica dignitate constitutorum non licet in Ecclesia affigere 314.

- Indulgentiae concessae** iis qui Conventibus Eucharisticis intersint vel operam navent 467-470.
Infideles sepultura ecclesiastica privantur 432.
Infirmi — S. Communio ad eos privatim seu occulte ne deferatur 189.
 — indultum pro eis iam a mense decumbentibus circa ieiunium eucharisticum 186.
Inscriptiones nullae in Ecclesiis apponantur sine Ordinarii loci licentia 314.
Insignia — Associationis — quid 153, XXVII, A, b.
 — exercitus — *vide* Exercitus.
 — quae admittenda vel non in Ecclesiis 454, 455.
Instituta Religiosa — praecedentia 153.
Instrumenta musica — de eorum usu 300; 304, VII.
Interstitia temporum — in S. Ordinationibus 207.
Interdicti — sepultura ecclesiastica privantur 432.
Interdictum locale — quae S. Functiones vel non eius tempore vetantur 334-338.
Inventarium S. Supellectilis — Ecclesiarum conficiendum 503.
 — Episcoporum 78, 7.
Ius liturgicum — quid 1.
 — de eius fundamentis 2.
 — illud Romanus Pontifex ordinat 8.
 — de consuetudine in eo 37.

L

- Laici** — an possint in Ecclesiis locum habere distinctum 449.
 — praecedentia 153, XXVII.
Lampades — de earum materia et forma 395.
 — pro Altari SS. Sacramenti 411.
 — supra Defunctorum sepulcra 426.
Laudationes funebres — in Coemeterio 425.
Lectiones contractae — earum notio 15.
Lectores — quasnam benedictiones dare possunt 224.
Legati Romani Pontificis — praecedentia 152, II.
Libri liturgici hodierni 10.
Liturgia — eam ordinare Apostolicae Sedis munus est 6.
Loca sacra — quatenam 305.
 — eorum benedictio 307.
 — — documentum redigendum et asservandum 308.
 — — probatio 309.

[Loca sacra]

- eorum consecratio 306.
- — documentum redigendum et conservandum 308.
- — probatio 309.
- Locus** — pro Baptismo conferendo 159; 160.
- pro Communione distribuenda 182.
- pro Confessionibus audiendis 192-194.
- pro Confirmatione administranda 178.
- pro Matrimonio celebrando 216.
- pro Missae celebratione 272; 274-276.
- pro Ordinibus conferendis 208.
- in Ecclesia — pro Fidelibus 449-450.
- — pro Magistratibus 449.
- — pro Patronis 449.
- nobilior in praecedentia 149.
- Lux electrica** - adhiberi nequit ad cultum, adhiberi potest ad depellendas tenebras 384.

M

- Magistratus** — locus in Ecclesia 449.
- Mantelletum** — de eius usu — a S. R. E. Cardinalibus 64.
- ab Episcopis 87.
- Manutergium** — in Missa adhibendum — eius materia non est praescripta 512, XVIII.
- Martyrologium Romanum** — brevis eius historia 13.
- Massonicae sectae addicti ecclesiastica sepultura privantur** 432.
- Matrimonium** — quando contrahi potest 213.
- locus celebrationis 216; 364, IV.
- Memoriale Rituum** — brevis eius historia 17.
- Mendicantes (Ordines)** - praecedentia 153.
- Metropolita** — quis 71.
- iura et privilegia liturgica 79.
- obligationes liturgicae 80.
- praecedentia 79, 5; 152, III.
- Tabula dierum in quibus uti potest sacro Pallio 103.
- Missae** — locus celebrationis 272.
- — domi, praesente cadavere 275.
- — in aediculis in Coemeterio quando prohibetur 363.
- — extra Ecclesiam 274.
- — occasione festi civilis 274.
- — in Oratorio privato quando prohibetur 363.
- materia 264.
- — summa diligentia adhibenda ut valida et licita sit 265.
- Minister adhibendus 262.
- — an possint mulieres Missae ministrare 262.

- praeparatio 260.
- quid de Sacerdote extraneo Ecclesiae in qua celebrare postulat 263.
- Sacerdotes non admittantur ad celebrationem absque veste 263.
- tempus celebrationis 270; 271.
- — media nocte extra Festum Nativitatis D. N. I. C. 271.
- vestem talarem Celebrans deferre debet 263.
- Missae cantatae** 280.
- Missae conventuales** 283.
- de numero 287.
- obligatio celebrandi 283.
- de Requie 292.
- tempus celebrationis 285.
- votiva 281.
- Missae nuptialis** — celebrari potest in Oratorio privato de Ordinarii licentia 364, IV.
- Missae pontificalis** 281.
- Missae pro populo** — quando applicanda ab iis qui tenentur eam celebrare 117.
- Missae solennis** 277.
- cum assistentia Episcopi Ordinarii 282.
- Missale Romanum** — eius brevis historia 16.
- Missionarii Apostolici** — Presbyteri hoc titulo insigniti, nullo iure praecedentiae gaudent relate ad eos qui eodem titulo non sunt insigniti 152, XXII.
- Mitra** — triplex species 91.
- eius usus 92.
- eam gestare nequit Episcopus in Missa privata dum lavat manus et benedictionem impertit 94.
- pretiosa uti nequit Canonicus Episcopus in Choro assistens Officiis pontificalibus 93.
- Monachi** — praecedentia 153.
- Mozzetta** — de eius usu — a S. R. E. Cardinalibus 64.
- ab Episcopis 87.
- Musica instrumenta** — de eorum usu 300; 304, VII.
- Musica sacra** — vide Cantus.
- Mulieres** — in Ecclesia — optandum ut separatae sint a viris 448.
- — capite cooperto esse debent et modeste vestitae 379; 448.
- earum confessiones ubinam et quomodo audiendae 192; 194.
- — earum cantus exclusivus non admittatur praesertim ubi officitura choralis habetur 299.
- an possint Missae ministrare 262.
- piarum Associationum, si in Processione admittantur, praecedentia 152, XXVII, B.

N

- Nationalia vexilla**, si benedicta admitti possunt in associatione cadaveris tum in Ecclesia; si non benedicta tolerari 455.
- Nuntii Apostolici** — praecedentia 152, II.

O

- Octavarium Romanum** — eius notio et brevis historia 14.
- Officiales Rotaes** - A, LXXXIV - LXXXV.
- Officii (S.) Congregatio** — competentia circa ea quae S. Liturgiam respiciunt 29.
- Officium divinum** — definitio 236.
- quae comprehendit 238.
- obligatio 236; 237.
- recitationis qualitates 246.
- recitationis choralis — locus 245.
- — tempus 240.
- — — Completorium 244.
- — — Horarum minorum 242.
- — — Matutinum cum laudibus 240.
- — — Vesperae 243.
- Olea Sacra** — quatenam in administratione quorundam Sacramentorum adhibenda 156.
- quomodo adservanda 157.
- — in Baptisterio 173.
- Oratorium** — quid 349.
- S. R. E. Cardinalium 361.
- Episcoporum 361.
- Protonotariorum Apost. — de numero Participantium 139, 6.
- — Supranumerariorum 140, 13.
- — « ad instar », 141, I, 3.
- — privatum 350.
- — Calendarium adhibendum 360.
- — erectio 362.
- — quatenam Functiones celebrari possunt 364.
- — quando Missa prohibetur 363.
- — publicum 350.
- — benedictio 352, I, II.
- — eodem iure regitur qua Ecclesia 352.
- — quatenam Functiones celebrari possunt 352, III.
- — semipublicum 350; 353.
- — benedictio 358.
- — Calendarium adhibendum 360.
- — erectio 355.
- — quatenam divina Officia celebrari valeant 357.
- Ordinarii** — quinam veniant in iure liturgico 46.
- locorum — quinam 46, I.

- simpliciter 46, II.
- Ordatio sacra** — ius praesentandi ad eam competit Archidiacono 209.
- locus 208.
- tempus 206.
- — interstitia servanda sunt 207.
- Minister 199.
- — debet celebrare Missam 205.
- Ordines Mendicantes** - praecedentia 153.
- Organum** — de eius modulatione 300; 304, VIII.
- eius locus in Ecclesia 317.
- Ornatus** — Altaris maioris 385-402.
- SS. Sacramenti 403-411.
- Altarium minorum 412-414.
- Ecclesiae 378-383; 415.
- Ostensorium** — eius materia 512, IV.
- in eius summitate sit Crux visibilis, *ibidem*.

P

- Palla** — eius materia 512, VIII.
- Pallium (S.)** — de eius cura habenda 101.
- obligatio illud petendi 98.
- quando et ubi Archiepiscopus eo utitur 103.
- ex privilegio quidam Episcopi eo uti possunt 102.
- Pallium Altaris** — de eius materia 393.
- Pannus emortualis pro adultis** 512, XXXII.
- Paramenta sacra** — in eis conficiendis non licet recedere ab usu in Ecclesia Romana recepto 512, IX.
- Parochi** — Functiones sacrae ipsis reservatae 332.
- praecedentia 152, XVII.
- Patena** — de eius materia 512, II.
- Patriarcha** — titulus hic nullam secumfert specialem iurisdictionem 70.
- praecedentia 152, III.
- Patronus (S.)** definitio 472.
- electio 473.
- Festum 474.
- eius locus in Ecclesia 449.
- Peccatores publici et manifesti** privantur sepultura ecclesiastica 432.
- Personae regales** quatenam in iure liturgico 420, III.
- Photographia** — tempore S. Functionum in Urbis Ecclesiis absolute vetatur ut exprimentur photographicae imagines 453.
- optandum ut res arte praestantiores ope photographiae, quae dicitur, simillime producantur et hae una cum inventario serventur in Ecclesiae Archivo 503.

- Pianoforte** - eius usus in Ecclesia vetatur 301.
Pileolus - Cardinalium 59.
 - Episcoporum 84.
 - praeter Episcopos uti possunt pileolo violaceo Abbates vel Praelati *nullius* 115, II, 2.
 - nigri coloris uti debent Abbates regulares de regimine 147, 2.
Poenitentia (Sacramentum) - locus pro confessionibus audiendis 192-194.
Pontificale Romanum - eius brevis historia 19.
Praecedentia - definitio 148.
 - locus nobilior in ea 149.
 - Praelatorum Romanae Curiae A, III-VI.
 - principia 151.
 - in specie 152.
 - Religiosorum; eius Ordo 153.
Praefecti Apostolici - quinam 109.
 - iura et privilegia liturgica 110.
 - obligationes liturgicae, *ibi*.
Praefectus Chori - de eius munere 255-257.
Praelati nullius - quinam 113.
 - benedictio 114.
 - iura et privilegia liturgica 115.
 - obligationes liturgicae 116.
Praelati Referendarii Signat. Ap. - A, CXXXIII - CXL.
 - munera CXXI.
 - privilegia CXLII - CXLVI.
Praelati Urbani seu Domestici - iura et privilegia liturgica 143.
Praelati Votantes Signaturae Apostol. CXVIII - CXXIV.
 - munera CXXV - CXXVI.
 - privilegia CXXVII - CXXXII.
Presbyteri - praecedentia 152, XXII.
Primas - praecedentia 152, III.
 - titulus hic nullam secumfert specialem iurisdictionem 70.
Processiones sacrae - quid 495.
 - eorum divisio 496.
 - — extraordinariae - quinam indicare possunt 497; 500.
 - — quinam interesse debent 498.
 - ordinariae et consuetae servandae sunt 500.
Projectiones etsi honestae et piae - prohibita sunt in Ecclesiis 457.
Protonotarii Apostolici - de numero Participantium 138, I; A, XXII - XXVIII.
 - — facultates A, XXXVIII - XL.
 - — iura et privilegia liturgica 139; A, XLI - LII.
 - — munera A, XXXI - XXXVII.

- «ad instar» Participantium 138, III; A, LVI.
 - — iura et privilegia liturgica 141; A, LVII.
 - — Supranumerarii 138, II; A, LIV.
 - — iura et privilegia liturgica 140; A, LV.
 - — Titulares seu Honorarii 138, IV; A, LVIII.
 - — iura et privilegia liturgica 142; A, LIX.
Pulpitum - eius locus in Ecclesia eiusque materia 316.
Purificatorium - eius materia 512, VIII.
Pyxis - de eius materia, 512, III.

R

- Reconciliatio Ecclesiae** 347.
Regulares (Ecclesiae) quatenam 311, VIII.
Religiosae - praecedentia 152, XXVI.
Religiosi - praecedentia 152, XXV.
 - — Ordo 153.
Religiosi Episcopi - quoad habitum 82.
Reliquiae Sanctorum - definitio 483.
 - eorum species, *ibi*.
 - de earum authenticitate 485; 486; 494.
 - sub baldachino ne deferantur 488.
 - poenae in conficientes, scienter vendentes, distribuentes, publicae venerationi exponentes sacras Reliquias 494.
 - vigilantia circa eas 491.
Rituum (S. Congregatio) - quatenam et quae eius competentia 26; 28.
 - eius Decreta 33.
Rubrica - definitio 23.
 - distinctio 24.
 - obligatio 25.

S

- Sacerdotes** - non admittantur ad Missam celebrandam absque veste talari 263.
 - eorum sepulcra in Coemeterio 429.
Sacramenta - quid et quomodo tractanda 154.
 - quinam ritus in eis servandi 155.
Sacramentalia - quae 218.
 - eorum constitutio 219.
 - Minister 220.
Sacrarium - quid 416.
Sacramentorum (de disciplina - S. Congregatio) eius competentia circa ea quae S. Liturgiam respiciunt 30.
Sancti - de eorum cultu 471.
 - Patroni locorum - *vide* Patronus.
 - Reliquiae eorum - *vide* Reliquiae.
Scamnum oblongum pro Celebrante et Ministris sacris 400.

- Scaenicae actiones** etsi honestae et piae in Ecclesiis prohibentur 457.
Schismatica sectae addicti ecclesiastica sepultura privantur 432.
Scholae Cantorum 304, I, II, III, VI.
Secretarii Sacrar. Congr. Roman. - A, XI - XVI.
 - facultates et privilegia A, XVII-XXI.
Sedes camerales pro Officio et Missa solemniter prohibentur 400.
Sedes confessionales pro mulierum confessionibus - quomodo conficiendae et ubi collocandae 194.
Sedes Suburbicariae 50, 1 *in nota*.
Sepulcra - infantium 430.
 - particularia 428.
 - Sacerdotum et Clericorum 429.
 - non obstat supra illa quominus lampades etiam electricae ardeant 426.
Sepulcrum Altaris 371, III.
Sepultura ecclesiastica - quibus deneganda 432.
Stola latior - habere non debet tres Cruces 512, IX.
Statuae virorum etsi in ecclesiastica dignitate constitutorum non licet in Ecclesia collocare 314.
Succursales (Ecclesiae) - quatenam 311, VII.
Supellex - ad divinum cultum exercendum - benedictio 509.
 - — quando eam amittunt 511.
 - confectio 504.
 - consecratio 508.
 - — quando eam amittunt 511.
 - descriptio in inventario 503.
Supellex sacra - S. R. E. Cardinalium 54.
 - Episcoporum 78, 7.
Superpelliceum - eius materia non est declarata 512, XXI.

T

- Tabellae Secretarum** 391.
Tabernaculum - ex quam materia esse debet 404.
 - de eius forma 406.
Tabula - ex qua apparet differentia inter tempus locale verum et tempus locale medium 45, 3, B).
 - dierum - quibus decet Episcopum Ordinarium accedere ad Ecclesiam cathedrallem pro s. Functionibus 118.
 - — in quibus inest onus litandi Sacrum pro populo 117.

- — in quibus Metropolita uti potest s. Pallio 103.
Talaris vestis - Sacerdotes non admittantur ad Missam celebrandam absque ea 263.
Tapete Altaris 394.
Tempus - eius supputatio 44.
 - sumptum - canonicum 45, IV.
 - — civiliter, *ibi*, II.
 - — liturgice, *ibi*, III.
 - — naturaliter, *ibi*, I.
 - legale - quid 45, IV, B).
 - — extraordinarium, *ibi*, D).
 - locale - verum, *ibi*, A).
 - — medium, *ibi*, B).
Tertii Ordines - praecedentia 152, XXVII.
Thronus episcopalis - quomodo esse debet in Ecclesia cathedrali 398.
 - — in aliis Dioecesi Ecclesiis, *ibi*.
 - an Episcopus Ordinarius gaudeat iure illum alteri Episcopo cedendi 104.
 - eius usum Vicarius Capitularis concedere nequit 127.
Thronus expositionis - SS. Sacramenti 512, XXIV.
 - SS. Reliquiarum 512, XXVIII.
Tituli Presbyterales - S. R. E. Cardinalium 50, II, *in nota*.
Titulus - Altaris 375.
 - Ecclesiae 326-329.
 - — eius Festum 330.
Tobaleae Altaris - quot et quomodo sint 387.
 - benedictio, *ibi*.
 - coronidae lignae super eas adhiberi nequeunt 388.
Tonsura - qui eam conferre potest praeter Episcopum proprium 201; 202.
 - tempus conferendi 206.
 - locus 208.
 - non licet eam conferre una cum aliquo ex ordinibus minoribus 207.
Tumulus 512, XXXIII.
Typicae editiones - quatenam 11.
 - — pro cantu gregoriano 22.

U

- Umbella** - pro asportatione SS. Sacramenti 512, XXVI.
Uniones piae - praecedentia 152, XXVII.
Urna pro Feria V in Coena Domini 512, XXVII.

V

Vasculum pro digitorum purificatione 410.
 Venditio candelarum, etc., in Ecclesiis 446.
 Vestis talaris - Sacerdotes non admittantur ad Missam celebrandam absque ea 263.
 Vexilla et insignia - quae admittenda vel non in Ecclesiis 454; 455.
 Vexillum - iuxta Rituale Romanum 152, XVII, A, b.
 Viaticum - quacumque diei aut hora noctis administrare potest 188.
 — privatim ne deferatur nisi ex iusta et rationabili causa 189.
 Vicarii Apostolici - quinam 108.
 — iura et privilegia liturgica 110.
 — obligationes liturgicae 111.
 Vicarii Capitulares - quinam 125.
 — si Episcopi pontificalium exercitium in

diocesi exercere possunt, excluso usu Throni cum baldachino 127.
 — S. Functiones in solemnioribus Festivitatibus vi muneris non competit ius peragendi 126.
 — iura et privilegia liturgica, *ibi*.
 — obligationes liturgicae, *ibi*.
 — praecedentia 127; 152, XII.
 Vicarii Cooperatores - praecedentia 152, XXI.
 Vicarii Foranei - praecedentia 152, XXIII.
 Vicarii Generales - quinam 120.
 — iura et privilegia liturgica 121.
 — praecedentia 122; 152, XI.
 — Canonici non eximuntur a munere ministrandi in Missis et in aliis Functionibus pontificalibus, 123.
 Vicarii oeconomi - praecedentia 152, XIX.
 Vicarii parociales - praecedentia 152, XVIII.
 Vicarii substituti - praecedentia 152, XX.

II.

DECRETA

SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS
IN VOLUMINE ALLATA

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
5		210	337		340-IV
14	D. 2	132-2	352		152-XXV-E
"	" 3	134-3	388		87
"	" 5	133-3-b	392		"
36		340-IV	405		340-IV
64		241	456		134-5
67		"	491		133-3-b)
71		"	492		398
87	1	152-XIII	525	3	134-3
105	3	122	526		473
131	2	398	552		283
132		38	569		398
138		134-3	574		"
139		"	582	2	122
140		38	599		133-3-c)
143		"	650		87
144		"	673		340-IV
151		"	681		152-XIII
152	1	134-3	"		" -XXVII
154		38	698		133-3-b)
166		315	710		152-XIII
168	1	147-7	"		" -XXVII
170		340-IV	711		" -XV
179		42	723		" -XVII
188		133-3-a)	733		314
210	1	157	738		340
214	2	402	748		152-XIII
218		38	761		122
226	3	132-2	768		147-7
229		38	783		"
235	5	133-3-b)	791	4	398
238		152-XIV	794		38
241		133-3-a)	800		464
244		157	832		133-4
256		38	837	1	133-3-a)
270		152	"	2	"
298		147	"	3	"
299		38	887	1	340-IV
307		147-8	900	7	134
310		133-4	906		87
312		79-3	915	5	134-3
319		322	936		152-XXII

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
937	3	280	1832	1	449
939		257	1838	1	»
958		132-2	1842		340-IV
976		»	1849		449
977		400	1882		257
1037		136	1896		157
»		152-XVI	1903		134-3
1046		76-I-14-b)	1906	1	257
1061		473	»	2	»
1140	6	340-IV	»	5	»
1172		152-XIII	1910	2	449
1077	1	122	1924	2	257
»	2	132-2	»	5	»
1079		340-IV	1933	3	»
1131	8	147-7	1946	3	401
1138		340-IV	1974	1	256
1140	6	»	1976		257
1172		152-XIII	2006		315
1194		38	2010	1	88
1201		157	»	2	»
1205	1	152-XIV	2011	1	»
»	2	»	2036		449
1209		398	2049	25	398
1225		157	»	»	402
1256	2	87	2050		38
1270	2	389	2067	7	512-XI
1287		512-VIII	2070		152-XIV
1290	1	398	2076	1	133-3-d)
1293		38	2088	2	» -a)
1312		132-2	2120		»
1318		»	2121		76-I-14-a)
1319		133-3-b)	2122		157
1342	1	79-3	2123	5	333-I-1
1358	1	241	»	6	» -2
1397	1	87	»	12	» -5
1398	1	136	2127		134-5
»	»	152-XVI	2135	2	400
1401	2	87	»	5	88
1435		512-XXV	2141		449
1440	6	340-IV	2143		389
1448		157	2153		79-3
1538	2	282	2178		157
1550		79-3	2194	3	512-XI
1585		134-3	2212		398
1619	3	257	2219	4	133-3-a)
»	4	»	2274	6	77-8
1642		76-I-14-a)	2283	5	93
1684	3	340-IV	»	6	»
»	12	133-1-d)	2310	5	134-3
1697		133-3-a)	»	6	»
1735		134-3	2331	5	122
1760	2	132-2	»	7	398
1792		449	»	10	241
1808		»	2353	1	328-6
1830	3	»	2356		134-5

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
2361		134-5	2916		33
2365	1	392	2937		122
2365	4	392	2951	1	491
2371	4	152-XIII	2957		512-IV
2375	1	208	2960	3	389
2403		21	2976	8	77-10
2424	4	392	2986	5	512-IX
2443		134	2989		38
2447	1	76-14-b)	3006	7	512-IX
2471	1	134-3	3035	7	390
»	2	»	»	10	409
»	10	132-2	3039	11	512-XXXII
»	11	»	3043	5	42
2515	8	280	3044	1	208
2519	1	320	3059	XI	390
»	2	»	»	XX	147-6
»	5	324	3062	1	152-XVII
2530		340-1	3104	2	279
2600		512-VIII	»	3	38
»		387	»	4	»
2616	2	208	»	»	400
2619	4	329	»	5	38
2621	1	41	»	6	»
»	6	400	»	7	»
»	7	389	»	10	»
2624	1	76-II-4	»	11	»
2631	1	287-II-2	»	12	»
2631	3	400	3110	23	257
2647		488	3118		512-XI
2659	1	133-3-c)	3126		371-II
2679	8	77-10	3136	4	512-I
2682	50	512-IX	3137	1	412
2689	4	224	3142		320
2704	4	512-IX	3145		512-IX
2712		388	3150		409
2714		267	3157		315
2730		79	3162	2	371-III
2740	1	408	»	6	512-III
»	7	283	»	8	233
2744		333-1-B-3	3184	1	81-1
2745	7	363	3184	2	81-1
»	8	262	3191	4	512-IX
2752	5	396	3199	2	134-3
»	7	»	»	3	»
2769	D. V. 1	512-IX	3242	ad post	241
»	» 3	»	3251	3	152-XVII
2772		205	3254	8	407
2788	2	512-IX	3263		512-XXXII
2799	1	557	3282		371-II
»	3	340-IV	3301	2	81
2808		491	»	»	86
2821		320	3308	1	466
2853		327	3328		280
2862	1	371-I-3	3330		371-III
2868		324	3333		38

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
3333	2	42	3798	2	77-11
3337		"	"	"	282
3344		420-II	3804	11	400
3359		157	"	12	512
3368	1	262	3813	1	333-I-1
3375		465	"	"	" -2
3387		512-VIII	3828	1	134-3
3387		" -IX	"	3	"
3390		333-II-2	"	4	"
3393		135-I	3832	4	512-VIII
3394	1	464	3835		481
3438	5	466	3859		384
3448	3	"	3862		363
"	11	392	3863	1	474
"	13	382	3864	1	240
3471		359	3865	1	133-3-a)
3506		245	"	III	118
3511		512-III	3868	1	387
3520		409	"		512-VIII
3525	2	356-c)	3873	6	134-3
3543		512-IX	3875	3	464
3576	4	395	3876	5	328
"	"	411	3888	2	134-3
"	5	395	3898		512-XXXIII
"	6	461	3905		233
3595		118	3907	1	321
3599	3	396	3910		360
3608	1	333-II-2	"		363
3611		280	3919	17	360
3628		512-IX	3921		278
3638	3	" -XX	3922	IV, 2	392
3646	2	" -IX	3927	1	360
"	3	"	3953		134
3660	1	512-XXVII	3978	5	315-3
3671		371-III	3982		420-11
3674	2	" -I-3	4000	3	512-XX
"	3	"	4015	6	262
3687	1	323	4023		77-7
"	4	322	"		88
3693		420-II	4025	5	359
3697	7	283	4029	1	387
"	13	404	4035	1	76-II-1
3709		407	"	3	94
3729	1	91-I	4048	6	512-XI
3731	5	76-II-7	"	7	" -X
3748	4	134-3	4051	1	333-I-3
3771		373-IV	4053	3	286
3779	1	512-IX	4057	8	134-3
"	3	"	4073	1	371
3780	2	152-XXI	4096	8	465
"	5	512-X	4097		384
3791		376	4100	5	366
3796		512-IX	4121	1	294
3798	1	77-9	"	2	"
"	2	" -10	"	3	"

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
4121	4	295	4154	III, 78	143
"	5	"	"	" 79	"
"	7	296	"	" 80	144
"	8	"	4156	1	300
"	9	"	4158	2	241
"	10	297	4160		58
"	11	"	4165		512-XXXIII
"	12	298	4177	2	283
"	13	"	4180	3	371-III
"	14	"	4181	1	279
"	15	300	4187		135-1
"	16	"	4191	4	396
"	17	"	"	4	376
"	18	"	4192		359
"	19	301	4195		76-II-7
"	20	302	4201		364-1
"	21	"	4206		384
4136	2	406	4210	11	299
4137		409	4213	1	388
4145	1	371-I-3	4225		371-II
4154		137	4226		301
"	AI	138	4244	1	373-IV
"	4	139-3	"	2	"
"	5	" -4	4247		303
"	7	" -1	4248		363
"	8	" -1	"	3	360
"	10	" -5	4253		388
"	11	" -6	4266	4	11
"	12	" -8	4284	1	68-VII
"	II, 14	140-7	4288	III	76-I-3
"	14	135-1	4308	I, E. F.	325
"	16	139-1	4309		131-I-e)
"	17	" -2	"		148-8
"	18	" -9	4311	1	325
"	"	140-12	4355	I, 2	81-1
"	19	" -9	"	3	"
"	20	" -15	"	4	96
"	21	" -10	"	5	91-III
"	22	" -13	"	II, 1	87
"	27	" -2	"	2	88
"	28	" -	"	3	77-11
"	33	" -6	"	III, 1	88
"	34	" -7	"	3	95
"	36	" -14	"	V, 2	97
"	40	152	"	3	"
"	47	141-I-2	4360		87
"	III, 57	152-VI	4371		512-I
"	64	142-1	4376		314
"	65	" -2	4378		426
"	66	" -3	4390		454
"	"	152-IX	4398		512-IX
"	67	142-5	4401	1	396
"	68	" -6	4404		68-VII
"	70	" -8	"		"

III.

CANONES CODICIS IURIS CANONICI
IN VOLUMINE ALLATI

Can.	Par.	N.	Num.	Can.	Par.	N.	Num.
5			37	239	1	8 ^o	53-I-8
»			42	»	»	9 ^o	» -5
9			34	»	»	10 ^o	» -9
25			37	»	»	11 ^o	» -10
27			37	»	»	12 ^o	» -14
30			»	»	»	13 ^o	» -2
32			45-IV	»	»	»	» -13
33	1		45-IV	»	»	»	58
106		1 ^o	150	»	»	14 ^o	53-I-11
»		»	152-XIX	»	»	15 ^o	» -12
»		2 ^o	150	»	»	16 ^o	» -15
»		3 ^o	76-I-14-b)	»	»	18 ^o	» -10
»		»	152-XIX	»	»	»	353-VIII
»		»	151-2	»	»	20 ^o	» -16
»		»	» -3	»	»	»	» -17
»		4 ^o	151	»	»	»	306
»		5 ^o	» -3	»	»	»	508-2
»		»	»	»	»	21 ^o	53-I-23
»		»	152-XIV-C, E	»	»	»	150
»		»	152-XXV	»	»	»	152-I
»		6 ^o	77-15	»	»	22 ^o	53-I-18
»		»	152	»	»	23 ^o	» -19
135		»	25	»	»	24 ^o	» -20
»		»	237	»	2	»	» IV
198	1		126	»	3	»	53-V-1
»	»		46-II-8	»	»	»	» -2
230			47	240	3	»	53-II-2
231			50	243	1	»	27
232	1		48	244	1	»	»
233			»	247	5	»	»
235			49	251	3	»	29
236	1		52	253	»	»	»
»	4		»	254	»	»	26
237	1		152-I-1	269	2	»	32
»	»		51	»	»	»	150
238	2		75	»	»	»	152-I
»	»		54	270	»	»	» -II
239	1	3 ^o	53-I-3	271	»	»	»
»	»	4 ^o	» -6	272	»	»	70
»	»	5 ^o	» -21	274	»	»	71
»	»	6 ^o	» -22	»	5 ^o	»	80-3
»	»	7 ^o	» -7	»	6 ^o	»	79-3
»	»	»	»	»	»	»	72-4

Can.	Par.	N.	Num.	Can.	Par.	N.	Num.
275			80-1	339	1		78-4
»			98	»	»		117
276			99	»	2		» -I
277			79-2	»	3		» -II
278			99	»	4		» -III
279			100	»	5		» -IV
280			151-2	»	6		» -V
»			79-5	341	1		78-2
»			152-III	343	1		» -1
283			80-2	347			77-5
284		1 ^o	»	»			79-5
286	3		131-I-4	»			152-III
293	1		108	348	2		117-VII
»	»		109	349	1	1 ^o	76-I
294	2		110-II-2	»	»	»	» -5
»	»		» -3	»	»	»	» -7
»	»		» -5	»	»	»	» -8
»	»		110-III-1	»	»	»	» -9
»	»		508-2	»	»	»	» -10
299	»		111-III	»	»	»	» -11
301	2		112-III	»	»	»	» -12
304	2		111-II	»	»	»	» -13
306			» I	»	»	»	» -14
»			112-I	»	»	2 ^o	76-II-2
»			117-VI	»	2	»	77-12
»			117	»	»	3 ^o	» 4
308			110-I-1	356	1	»	78
»			110-II-1	358	»	»	131-I
312			105	»	»	»	»
315	1		106	366	1	»	120
»	»		117	»	2	»	»
»	2	2 ^o	107	368	1	»	122
319	1		113	370	1	»	»
322	2		114	»	»	»	150
»	»		233	»	»	»	152-XI
323	2		115-II-5	»	2	»	121
»	»		» -6	391	»	»	129
»	»		» -7	»	1	»	128
»	»		III-2	392	»	»	»
»	1		117	393	»	»	130
»	»		306	396	1	»	133-2
»	»		508-2	»	3	»	»
325			115-II-2	397	»	»	123
»			» -3	»	»	»	126
»			» -4	»	»	»	131-I-2
328			152-X	»	»	»	» -II-3
329	1		69	»	»	»	133-II-d)
332	»		72	»	»	»	255
333	»		73	398	»	»	130
»	»		75	404	»	»	152-XV
»	»		76-II-6	405	»	»	134
336	2		7	407	1	»	135
337	3		76-II-6	408	1	»	»
»	3		104	»	»	»	151-3
338	»		78-3	»	»	»	152-XIII

Can.	Par.	N.	Num.	Can.	Par.	N.	Num.
408	1		152-XIV	478	1		152-XVIII
»	2		» -XV	»	4		152-XVII
409	1		76-I-14-a)	488		3 ^o	» -XXV-B
»	»		133-1	»		4 ^o	» » -A
»	2		33-1	»		8 ^o	46-II
»	»		135-1	490			152-XXVI
412	1		132-2	491	1		» -XXV
»	»		134-3	»	»		151-3
»	2		» -4	»	2		152-XIII
413	1		132-1	»	»		» -XIV
»	»		236	514			340
»	2		238	609	3		331-3
»	»		283	610	1		236
414			248	»	3		247
415	3		132-4-c)	625			146
416	»		» -2	»			147-5
417	1		283	»			233
»	2		284	701			152-XXVII
»	3		»	716			331-3
418	1		249	731	1		154
»	2		»	733	1		25
»	3		250	»	»		155
419	1		252	734			156
»	2		284	735			157
420	1	1 ^o	253-I-1	»			194
»	»	2 ^o	» -II-1	737	2		158
»	»	3 ^o	» -II-2	741			163
»	»	4 ^o	» -II-3	759	2		165
»	»	5 ^o	» -II-4	772			158
»	»	6 ^o	» -II-5	773			»
»	»	7 ^o	» -I-2	774			159
»	»	8 ^o	» -II-6	775			»
»	»	9 ^o	» -II-7	776			160
»	»	10 ^o	» -II-8	»	1	2 ^o	364
»	»	11 ^o	» -I-3	781			175
»	»	12 ^o	» -II-9	782	1	1 ^o	176
»	»	13 ^o	» -I-4	»	»	2 ^o	176
»	»	14 ^o	» -II-10	»	»	3 ^o	»
421	1	1 ^o	» -III-1	»	»	4 ^o	»
»	»	2 ^o	» -III-2	783			177
»	»	2 ^o	» -III-4	784			»
»	»	3 ^o	» -III-3	785			179
»	»	4 ^o	» -III-4	790			178
»	2		253-III-4	791			»
431	1		125	804			263
432	1		»	805			258
435	2		127	806			259
»	»		46-I-F-b)	807			260
439			127	810			»
440			126	811	1		»
450	2		152-XXIII	»			»
462			332	813			512-XXIII
468	2		232	814			262
470	1		419	815			264
471	4		152-XVIII	816			»

Can.	Par.	N.	Num.	Can.	Par.	N.	Num.
818			39-II	1003			205
820			269	1005			204
821	1		181	1006	1		210
»	»		270	»	2		206
»	2		»	»	3		»
822	1		272	»	4		»
»	2		273	»	5		»
»	3		»	»	»		39-IV
»	4		274	1007			206
823			276	1009			208
845	2		180	»			78-3
847			189	1100			212
848			183	1101			214
849			189	1102			216
»	1		183	1108			213
858			186	1109			216
»	2		187	»	2		357-IV
864			188	1144			218
867	5		»	1145			219
»			181	1146			220
869			182	1147	1		224
908			191	»	»		306
909			192	»	2		223
»			364-III	»	»		224
910			»	»	3		510
»	1		194	»	4		224
914			73-13	1148	1		221
»			110-III-2	»	2		224
»			115-III-2	1149			226
»			230	1150			227
915			231	1151			228
916			370-II	1152			»
917			»	1153			239
918			»	1154			305
940			195	1155			306
941			»	»	1		435-I
945			196	1156			307
946			197	»			435-II
947			198	1157			306
949			151-2	»			53-I-16
950			»	»			307
951			199	1158			308
952			»	»			418-VIII
953			73	1159			309
»			210	1161			310
954			211	1162	1		46-I-F-b)
957	1		110-I-2	»	»		312
»	2		» -II-5	»	4		»
»	»		» -II-8	1164	2		315
»			201	1165	1		319
»			200	»	3		»
959			202	1166	1		320
964	1		39-III	»	2		»
978	3		207	»	3		321
»			203	1168	1		326
1002			»	»			»

Can.	Par.	N.	Num.	Can.	Par.	N.	Num.
1168	2		329	1201	1		416
"	3		328	"	2		326
1169	1		339	"	3		375
"	2		342	"	4		"
"	4		341-IV	1202			377
"	5		342	1205			420
1170			343	"	1		314
1171			331	"	"		435
1172	1		345	"	2		53-I-25
1173	1		343	"	"		76-17
"	"		346	1206	1		422
1174			347	"	2		"
1175			345-IV	"	3		436
1176			439	1207			437
1180			310	1208	1		427
1181			447	"	2		"
1184	3		337	1209	2		429
1187			343-III	"	3		430
1188			310	1211			425
"	1		349	1212			431
"	2		350	1219	1		53-I-24
1189			353-VIII	1239	1		432
"			361-1	"	2		434
1190			366	1240			432
1191	1		352	"			433
1192	1		355	1242			345-IV
"	2		356	1244			440
"	"		366	1246			441
"	3		356-d)	1247	1		442
"	4		354	"	2		443
1193			357	"	3		443
1194			366	1248			444
1195			363	1249			367
"	1		364	1257			6
1196	2		356-d)	1259	1		333-I-8
"	"		358	"	"		452
1197			366	1261			40
"	1	1 ^o	369	"	1		446
"	"	2 ^o	"	"	"		448
1198	1		371-I-3	1262			449
"	2		" -II	"	1		450
"	3		" -II	"	2		"
"	4		" -III	"	3		"
1199	1		372	1265			458
"	2		"	1266			460
1200	1		"	1267			458
"	"		373	1268	1		461
"	"		374	"	2		386
"	2	1 ^o	372	"	3		403
"	"	"	373-1	"	"		386
"	"	2 ^o	372	"	4		403
"	"	"	373-II	1269			"
1200	2	2 ^o	373-III	"	1		404
"	"	4 ^o	374	1270	4		405
1201	1		375	"	"		462
							512-III

Can.	Par.	N.	Num.	Can.	Par.	N.	Num.
1271			411	1301			54
1272			265	"			78-7
1274			463	1302			502
"	1		333-II-1	1303	1		132-4
"	"		465	"	"		506
1275			333-II-1	"	2		507
1276			post. 470	"	3		"
1277	1		471	"	4		"
1278			472	1304			509
1279	1		476	1305	1		387
"	2		"	"	"		511
"	3		"	"	2		512-II
"	4		479	1306	1		" -II
1280			477	"	"		512-VIII
1281	1		480	"	2		"
"	2		484	1390			11
1282			490	1399		12 ^o	482
"	1		365	1406	1	3 ^o	72-2
1283			485	"	"	"	114
1284			486	"	"	5 ^o	134-1
1285			"	1407			72-2
1286			493	1455		3 ^o	449
1287	1		487	1475	1		237
"	2		488	1522		2 ^o	418-IX
"	3		489	"		3 ^o	503
1288			78-7	1523		6 ^o	418-VII
1289	1		492	1549	2		" -VI
"	2		491	2195	1		345-1
1290	1		495	2270	2		340-VI
"	2		496	"	"		334
1292			497	2271			335
1293			499	"		2 ^o	340-VI
1294	1		500	2272	1		336
1295			456	2272	3		337
1296	3		503	2273			338
1296	3		504	2326			494
1298			54	2328			423
1299			78-7	2370			74
1300			post. 507	2402			114

